

blioteka  
J. M. K.  
Toruń

195323

DE  
**VITA HOMINIS ÆTERNA**

**COMMENTATIO**

ADNOTATIOIBUS GERMANICIS ILLUSTRATA

quam

*pro facultate legendi*

in

Literarum Universitate  
Alberto-Ludoviciana

Friburgensi

scripsit

Oronislaus Ferdinandus Trentowski,  
Doctor Philosophiae.

FRIBURGI BRISIGAVORUM.

Typis Herderianis.

1838.

Vor Wohlgeborenen Herrn Professor  
Wilhelm Hofmann, Leibarzt  
des Fürsten von Sachsen-Anhalt  
zum Lebewohl  
größter Ergebung sind Dankbar-  
keit

Dear Dr. Murphy

6

49.28  
m<sup>2</sup>

6,012

DE  
VITA HOMINIS AETERNA.

COMMENTATIO  
ADNOTATIONIBUS GERMANIS ILLUSTRATA

quam

*pro facultate legendi*

in

Literarum Universitate

Alberto - Ludoviciana

Friburgensi

scripsit

Bronislaus Ferdinandus Trentowski,  
Doctor Philosophiae.

FRIBURGI BRISIGAVORUM.

Typis Herderianis.

1838.

*In his et in illis terris perdiu versatus sum, coelos et  
inferos visitavi, deum vidi patrem et hominem video fratrem  
meum; — de vita futura igitur aliquid dicere possum.*

*(Nemo est felicior, nemo miserior me!)*



---

**De**

**vita hominis aeterna.**

---

**I.**

Quod Pherecydes Syrius, teste Cicerone (<sup>1</sup>), primus dixit, animos hominum esse sempiternos, id usque ad hodiernum diem caput fere est omnium rerum, quas credimus, atque intelligere cupimus. Omni tempore, quo vis cognitionis divina ab oculis hominum ignorantiae caliginem dispellebat, de hac re ardua scribebatur et disputabatur, nec minus adhuc hodie integris viribus atque aucta oblectatione certatur; sed haec magni momenti materia semper fit copiosior et nunquam penitus effundetur. Nobis quoque propositum est, aliquid novi, si quidem his antiquissimis in cognitionis humanae regionibus etiam nunc aliquid novi restet, de hac re proferre. Attamen, priusquam rem nostram aggrediamur, praemittendum est certamen istud, quod omni aetate tali paene modo, quali hodie, est ortum, et philosophiae, theologiaeque vehementissimis ac moderatissimis propugnatoribus negotium facessit.

Duplex est genus eorum, qui hic reliquorum vice ita loquuntur, ut caeteri omnes, minoribus tantum rebus exceptis, assentiantur. *Prius* probat rationem eorum, qui res ipsas creatas deum esse censem, et vulgo *Pantheistae* vocantur. Sunt enim, qui dicant, hominem post mortem dissolvi et cum communī substantia confundi, immortalem igitur una cum universa quidem natura, sed non tanquam personam, quae ab aliis rebus sit se-juncta, permanere. *Posteriorius Orthodoxiae*, quae dicitur, addictum est, eique persuassissimum, animū hominis etiam post mortem personam esse, atque ab aliis rebus separatum et sempiternum. Quare hoc utrumque genus, — nam de illo *Blemmyarum* genere, quod excessu vitae sic deleri hominem putat, ut funditus intereat, tacere nobis placet, — disputare facimus. *Dialecticorum* loco, quae hic necessaria sunt et latīnae suadae gratia omit-tuntur, sermones alternos optime fini nostro respondere, non temere nobis judicare vide-mur; hoc enim pacto, partim res argumentis, argumentis contrariis confestim additis, inquiritur, quod perspicuitatem auget atque fa-vorem lectoris captat, partim *Romanos* imitamur, qui philosophantes sermonibus alternis libenter utebantur. *Prioris* generis partes agit *Victor*, posterioris *Flavius*. Utroque audito nostras de vita aeterna sententias in medio proponemus.

## III.

Jam diu me urgebas, olim ait *Victor* amico *Flavio*, ut, sempiternum esse animū, atque ab aliis rebus se-junctum permanere, crederem, quamvis noveris, apud me solum rationes evidentes, quae, ut mihi persuadeam, faciant, valere, atque a me opinionem omnem, quae in firmissimis causis non resideat, contemni. Age hodie, quod mihi persuadere possit, aliquid eloquere! Ne pu-

tes, me imaginationem mentis tuae, quae non invita per aetherem divinum fertur, esse tardaturum. Utaris igitur cum argumentis imaginibus aceribus atque oratione allegorica, die quid et quomodo velis, dummodo, me ad persuasionem conducere, tibi contingat.

Macte virtute! Flavius exclamat. Salvator ac redemptor generis humani divinus similitudinibus suis efficit, ut homines ipsius doctrinam veritatem esse a deo profectam ad unum omnes et firmiter credant. Attende, queso, animum tuum in hanc similitudinem. Deum, a quo lux omnis vera atque interna, et animorum nostrorum et naturalium rerum, emanat, tibi informa solem, qui, quod memoria tenere velis, speciem tantummodo lucis, sive lucem externam, quam cernimus, eamque a deo sibi impertitam, effundit. Sieut sol idem semper manet, quamquam radios infinitos ex se omnes in mundos suos emitit; ita deus semper est deus idem, quamquam multitudine animorum infinita radiat. Sol igitur repreäsentat deum, radius solis animum. Singulos nunc solis radios contuens, ab initio parvulos esse, jam jamque maiores fieri, et exiguo temporis spatio interjecto rursus paulatim decrescere invenies, donec denique prorsus evanescant. Idem cadit in singulos hominum viventium animos. Etenim nobis parvulis pueris animi sunt tenues, qui accrescent et decrecent nobis adolescentibus senectute veniente, ac moribundis penitus interire videntur. Sed cave, externa specie fallaris! Accuratius enim, obsecro te, solis radios contuere! Quid, quisque eorum nonne semper permanet, quamvis species intereundi te decipiat, sicut sol, fons et principium omnium radiorum, semper permanet? Ubiunque Apollo, ibidem comae ejus flagrantes; ubi sol, ibi solis radii! Sic et omnis animus permanet, sicut deus, unde oritur. Accrescentes et decrescentes solis radii sunt apparitiones momentaneae, et tantum in oculis nostris speciem veri prae se

ferunt, *sibi* autem neque accrescunt, neque decorescunt, sed semper iidem manent; ita quoque animi in hominibus viventes momentaneae sunt apparitiones, ac tantum per speciem nasci morique videntur, *sibi* autem, et ante nos natos et post mortem nostram, semper iidem perseverant. Adeo, in commui substantia animos corpore vacantes interire, falso putas, nam qui hodie sunt iidem fuerant et futuri sunt, sive iidem manent, semper individui, ab aliis rebus sevocati, perennique aeyo fruentes.

Ah pulcherrimam tuam similitudinem, repellit Victor; quae autem recte adhibita meam opinionem confirmet! Sol enim deo sit similis, ut desideras, at radii solis, non tantum animis, sed *totis* hominibus comparantur. E dei gremio nunc nati sumus cum corpore et animo, quales sumus, ad quem cum corpore et animo redimus. Sic solis radii etiam e solis gremio cum colore et calore, quales sunt, proveniunt, atque ad hunc cum colore et calore revertuntur. Verum solutis post mortem nobis in deo nunquam est redditus, sed enim alii homines ex eo manant, qui nobis simillimi quidem sunt eodem corpore et animo, quo nos sumus, ac nostrae naturae ad communem substantiam reductae aliquid in se continent; sicut quoque nunquam iidem solis radii e gremio solis erumpunt, sed alii novi, qui pristinis sunt simillimi, eodem colore et calore, ac naturae pristinorum aliquid in se exceperunt. Qui hodiernum genus humanum esse totum idem, quod ante saecula trecenta vel ducenta, putat, is manifesto fallitur; neque minus tu erras, si solis radios arbitraris semper esse eosdem, et inde aeternitatem animorum singulorum comprobare studes. Tempus praeteritum quidem usque ad praesens extenditur, quo reviviscit et recenti flore viget, et quo sicut causa in effectu suo valet. Quid tamen, eademne est vita, quam illud tempus olim degit et quae praesentiam nostrae simillimam, hodie autem extinctam,

effecit? Minime gentium! Hesterni diei ad hodiernum eadem est ratio, quae nihil ad aliquid. Dies hodiernus aliquid quidem est, sed coelo crastini diei albente ad nihilum recidet. Aeternitas est revera Saturnus, qui ex se natos devorat. Quare nos hujus aeternitatis, hujus Saturni, vel potius, ut nihil verens veritatique auscultans dicens audeo, nos dei nostri liberi, sumus aliquid, dum vivimus; si vero morimur, videlicet si in ventrem parentis nostri aeterni descendimus, substantiam ejusdem stercoramus, quo magis idonea fiat futurae procreationi, igitur *nobis* nihil sumus. Immortales sumus, quippe qui simus partes et membra illius immannis, gigantei atque aeterni omnium rerum numinis, quod omnia, quae exstiterunt, existunt et futura sunt, ex se gignit; quippe autem qui simus personae, aequem commutabiles sumus, ac facies ejusdem numinis, hujusceque pectoralis aura, quae nostra continuo profluentia producit genera. Nihil, nisi hoc praevalidum numen, nisi Universum, crede mihi, est aeternum. Est arrogantia generis humani, quod sibi non constat, si homo, terrae pulvisculus, immortalitatem, quae solum *simplicis Totius* (<sup>2</sup>), est, exspectat. Homine, me hercule, nil potest esse dementius, qui, qua superbia est, se ipsum amans, voluptatis causa, quam inter divos referat, semper in opinionis roseto ambulare velit! Quae consequi nequit, ea quam maxime optat, atque in iis summam ponit beatitatem suam!

Proh tuam tristem, animumque fragentem sapientiam! — suscepit Flavius. Qualem conditionem tu modo dixisti, tali si nos uteremur, sane non tanti esset, ut deo pro nostra sapientia gratias ageremus; contra esset, quod diras imprecaremur, quum istam ingenii aciem nobis dederit, qua solum nos miseros ac nihil esse intelligamus. Quae si ita essent, melius foret, nos esse sine cogitatione natos, atque eadem natura, qua brutum, aut vegetabile. Sed ad propositum revertor. — Com-

paratio a me in medium prolata, quam tam commode confirmandae tuae rationi adhibuisti, multo gravior est, quam tu opineris. Tu enim aliter ac ego de solis radio sentis, quod impedit, quominus me recte intelligas. Solis radius apud me idem valet, quod *lumen oculos effugiens atque aeternum* (<sup>3</sup>), quod *lumen primitivum Plotini* (<sup>4</sup>), vel *Kabbalae* (<sup>5</sup>), quod *natura coelestis apud Aristotelem*, videlicet — « mens soluta quaedam et libera, segregata ab omni concretione mortali, omniaque sentiens et movens, ipsaque praedita motu sempiterno (<sup>6</sup>). » Solis radius is est apud me, qui colorem et calorem a terra accipiat, et ejus lumen non apparens simile sit nostro animo, color autem et calor nostro corpori. Lumen hujus radii est immortale, a principio enim est, quod est; color ejus et calor caduci sunt, ut corpus nostrum. Evanescente solis radio, nihil evanescit, nisi color et calor, lumen vero, quod jam tibi est notum, remanet; sicut homine morienti corpus in cineres vertitur et ad nihilum reddit, ex quo ortum est, animus vero remanet. Utique, mi Amice, animus noster manet, quia non solum id, quod est, est a principio, simulacrum id fuerat ante nos natos, sed etiam divina specie ornatus et mente conceptus (<sup>7</sup>); jam enim vixit et finem suum adeptus est, qui neque spatio, neque tempore includitur. Novi quidem solis radii locum pristinorum semper obtinent, ac sibi vindicant colorem et calorem, quibus appareant, lumine tamen aeterno pristinorum neque extincto, neque repulso. Duos angelos, duos genios, duos animos etc., auctoribus scholasticis, unus idemque locus amplecti potest; contra ego: sexcentos animos unum mathematicum punctum capit! Quae quum ita sint, mea comparatio tota recte se habet, ac mecum est veritas. Re accuratius atque omnes in partes explanata, non amplius nostrum certamen in medio relinquetur.

Quid igitur, Victor refert, sunt hi *divina specie or-*

*nati*, sive hi revera *extincti*, solis radii, coloris et caloris expertes? Solis radius est pariter lumen, ac color et calor; colore et calore detractis, lumen ejus est solum res in se <sup>(8)</sup> Rantii, sive ens merum in se situm, sive potius non ens, vel ludibrium et portentum, quod philosophicae incantationi et obsecrationi obnoxios mentis suae impotes reddit. Quid sibi volunt hi radii solis, quos cernere et videre nequimus? Non jam enim nostram terram pingere et calefacere possunt, quum sint luminis manes. An fortasse sunt, quos homo quispiam coelestis et sanctus, furore imaginationis suae abreptus, contemplari possit, et quibus majestatem, quae sit supra has terras, visione sacra obstupidus, sibi singat? Tu vero, an fides? Eequid animus tuus, qui cogitatas species meras videt, etiam splendorem extinctorum radiorum divinum contuetur? Meus animus, gratiae agantur deo optimo maximo, talibus oculis non gaudet, mente enim capi non sinit. Quid tandem faciunt hi luminis manes in aeternum eadem personae permanentes, quae antea fuerunt? Saltantne fortasse internis sempiternae voluptatis undis gestientes, velut beatae mortuorum imagines elyseis in campis; an sunt angeli tutelares <sup>(9)</sup>, vel genii prospici, qui non visi visis solis radiis adsint, quos ad virtutem adhortentur? At munere custodiendi atque adjuvandi non diligenter fungi videntur, nimis saepe enim dies sunt nubili. Age jam Flavi! Contemplatio rerum Hegeliana, quae hodie mentes agitat, reddet te somniatorem demum, qualis Suedenborgus <sup>(10)</sup> fuerat; nae, jam te atque eos, qui vita excesserunt et sine corpore vigent, vi mutua frui credam! Nonne pudet te, mi Care, spectra venari? — Comparatio tua, qualis nunc appetet, nihilominus tandem ea fulcit et firmat, quae a me dicta sunt. Etenim, si solis radii sunt lumen aeternum atque oculos effugiens, sol quoque est, ut horum radiorum fons, idem illudque ipsissimum <sup>(11)</sup> lumen.

Quid, num radii solis, colore et calore demtis, videlicet extra solem, ubi erant aureoque valebant splendore, non ens, quod certum consilium non sequitur, sive verum et merum nihil facti, tamen permanebunt? Permanere nequeunt, quia extra solem neque non ens, nec nihil, nec lumen merum exstat, sed semper aliquid, semperque in colore et calore inclusi meri luminis radii. Quod si ita est, ad focum omnis luminis aeterni atque oculos effugientis redire debent (<sup>12</sup>), vel ad solem; cum Toto enim singuli confunduntur, quod ejusdem est spiritualis materiae (<sup>13</sup>), quae ipsorum vim et naturam efficit. Cantes, mi Flavi, carminibus lugubribus sexcentis vitam nostram miseram, nihil tamen veritas diminuitur, quae ei solummodo est tristis, qui lumen ejus feriens intueri non adsuevit (<sup>14</sup>). Admirabili natura sumus! Jam viri puerilia amare et sequi non desimus; expergesfacti a formoso generis humani adolescentiae nostri que rosei temporis somnio, dulces somniorum priorum revocamus species. Verum enim vero, simulac decerpitis a cognitionis arbore acerbis pomis fruiti sumus, paradius est nobis relinquendus, etiam invitis. Audi Flavi! Sicut corpus tuum aliquando herbidum stereorabit campum, sanguisque tuus in herbae calamo sursum ac deorsum curret, et pecus te in nova tua specie depascat; ita animus tuus in genitore ac devoratore animorum simplici interibit, simulac tegumento corporis recedit. Lamentari frustra est et ridiculum. Tali modo fiat necesse!

Non est, quod lamenter, Flavius inquit; non ego enim dignus ac felix sum ille, cui commiserationem suam homines significant, cuique omnem futurae vitae spem abjicienti nihil sit reliqui, nisi quod manu sibi vitam hanc miseram et brevem exhaustiat. O pulcherri-  
mum, summum, divinumque solatium, quod me susten-  
tet! Ego sum, sane sum, ac sum non hodie, non eras,  
non perendie solum, verum etiam post mortem! Quin

imo post mortis horam sempiternus, ac demum verus sum; tum, utpote persona, qui sum, sum aeternitas ipsa, sum suimet conscient et simplex numen, quodque mihi tam firmiter persuasum est, quam id perspicuum, me cogitare et, quae cogito, loqui! Difficile tamen est, quod sanctissimum et probatissimum nobis habeamus, id aliis persuadere<sup>(15)</sup>. Nostra verba enim vi Jovis fulminatoris electrica eorum tantum animos percutere possunt, qui, ferro similes, ignem coelestem percipient, i. e. quorum ingenium nostra cognatione teneatur. Etiamsi nunquam mihi contigit, ut tibi aliquid persuadeam, nunc tamen non despero, et idoneis rationibus ingenium tuum illustrare conabor. Haud ignoro quidem, certamen esse arduum, si Victor contra disputat; sed tandem ad postremum veritas discedet superior. — *Tuum Ego*<sup>(16)</sup>, quod es, mi carissime, impie, incredule Victor, si Fichtii philosophiae latine loqui licet, est fons vivus tuae cogitationis, voluntatis et actionis. Quae tu cogitas, jubes et agis, a tuo Ego ea manant, eademque sunt natura, qua hocce ipsum, quod vero est commune et illa sunt singula. Si evadis vir praeclarus et celeberimus, cogitata tua, jussa et facta singula in aeternum manent publica res et commune bonum; sicut etiam adhuc nunc quotidie divi Platonis cogitata, triumphantis Sullae jussa, atque Alexandri magni facta repetuntur. Sin autem in claritudinem pervenire tibi non contingat, attamen, quae tuum Ego perfecit, semper vivent, etsi tam late non sint effusa. Praeter tua *singula* cogitata, jussa et facta, tu *totus* semper vives, tanquam communis eorum fons et principium. Jam reliqua audi! Deus est simplex Ego in se ipso situm, cuius singula cogitata, jussa et facta fiunt singuli animi cogitantes, jubentes et facientes. Omnis animus est immortalis, qui proxime a deo ipso originem ducat, est singulum Ego, quod, ut communis simplicisque Ego in se ipso siti simillima effigies, permaneat

indelebile. Cogitata tua, jussa et facta e tuo Ego, quod minuta quidem, attamen fidelis est illius communis et simplicis in se ipso siti effigies, erumpentia, si ipsa jam sunt sempiterna, — quanto magis igitur decernendum est, dei cogitata, jussa et facta, videlicet singula Ego, sive singulos animos aeternitate laetari. Tuorum cogitatorum immortalitas tamen, tuorumque jussorum et factorum, est solummodo *historica*, quia tuum Ego, qui fons est eorum, ipsum est creatum; tui autem Ego, sive tui animi immortalitas est *vera*, i. e. est aeterna numinis vita, quia animus tuus, vel Ego tuum est perfectissimum cogitatum, jussum et factum perfectissimi Ego, qui est deus ipse creator. *Creatoris* creationes sunt, ut per se liquet, multo perenniores, quam *creati* creationes, multoque nobiliores; hae sunt *facta*, illae *numina*. Quale tuum Ego est, sive qualis tuus animus, talia sunt quoque omnia alia Ego, tales omnium animi. Animus quisque ergo, non solum est immortalis, sed etiam semper permanet singulus et, quae est, dum hic vivit, persona. — Cogitatio est, aequa tua meaque, ac omnis alia, divinae naturae, numen est verum et sempiternum, quod in corpore nostro, tanquam alienae domi (<sup>17</sup>), residet. Illud Cartesianum: *Cogito, ergo sum*, sibi nihil aliud vult, ac: quia cogito, sum numen deo ipsi simillimum, sive singulus deus, vel filius dei sibimet existens et prorsus sui juris, atque ideo sum aeternus, et, tanquam persona, individuus et immortalis. Fae, ut te e corporum colluvie emeras, mentem tuam a sensibus sevaces, ac tuum Ego intelligas, et non solum te immortalis, sed etiam te tanquam personam, sive te individuum imortalem videbis. Praeterea dei cogitatio est simpliciter atque omnino inexhausta. Tuum Ego quidem est *cognitionis mare*, idea dei enim omnia ciens et agitans in te ostenditur, et tu absoluta quoque cogitare potes; attamen hoc Ego tuum singulum, individuum, sibique

tantum sempiternum permanebit, nam divinum *Ego commune est omnium marium cogitationis mare*, tuo parvulo mari igitur non eget, fluctus suos tuis non auget, sibique sufficit. — Ad postremum ad te me accomodaturus, ac genus loquendi tuum imitaturus sum, qui tali modo multo facilius fortasse mihi assensum tuum conciliem. Ex iis, quae supra dixisti, patet, te ad universam substantiam, ex qua ortus es, redire, sive indeo liquefcere, maximopere desiderare. Ego autem tibi dico: Tu superbe argutans exigui temporis et spatii teredo, quis es? Nihil aliud, ac aeterni dei, ex quo ejectus es, aeternum excrementum! Ne igitur impie loqui audeas, tu esca dei rursus fias, necesse esse!

Tuum Fichtianum, Victor respondet, commune, simplex et in se ipso situm *Ego*, sive tuus deus est, ex tua ipsis sententia, universum, aeternumque numen; cogitata dei singula, sive singula *Ego*, ut dicis, vel singuli animi sunt etiam idem numen, fidelis enim sunt dei effigies, ejusdemque natura manifestata, ac se ipsam iterum manifestans. Animum esse immortalem, hoc intelligentiae nostrae vim et rationem non fugit, nam animus est numen, quod, tam immensum quam exiguum, semper idem ac sibimet ipsi par est perfectissime, est, quod Euripides jam tempore mundi juventutis aurora splendidi dicere ausus est, *deus in nobis*. Audi nunc, quod extremum dicturus sum: *Animus universitate pari, ut deus ipse fructur!* Jam omnes intelligentiae nostrae species, omnesque nostrae notiones sunt universales; multo magis itaque universales sunt per se ipsas viventes divinae intelligentiae species et omnes notiones, sive nostri a deo profecti animi. Deus tamen est universus et animi, quos creat, sunt singuli; animus noster vicissim est universus et notiones ejus sunt singuli. Quaeritur ergo, quomodo aliquid universum, sibi par perseverans, fiat singulum? Omne, quod universum di-

citur, est numen, adeoque *simplex et absolutum*, fit igitur singulum, quum numen suum disjiciat, videlicet, quum se in *compositum et hypotheticum* convertat. Hypothesis uniuscujusque *Ego* est, ut Fichtius et cogitationis natura postulant, *Non-Ego*, sive hypothesis animi est corpus. Itaque universum, simplex et absolutum *Ego* per suum semper singulum, compositum et hypotheticum *Non-Ego*, vel totus, aeternus et sanctus animus dei per corpus ejusdem, i. e. per communem materiem, init singularitatem suam. Per corpus suum quoque evadit, natura sua universus, animus noster *singulus et persona*, atque in corpore tantum conscientia sua singularitatis est, ac se ab aliis rebus sejunctum sentit. Num habes, quod iis, quae tantum quod exposui, opponas? Non spero! Atqui, si homo moritur, quid tum? Nil aliud est, ac universi animi discussus ex corpore suo, per quod factus est *singulus*. Nunc absolutum numen hypothesin suam, videbit et vas temporale et mundanum receptaculum suum frangit et dissipat; nostrum *Ego* se liberat ab arduo sui *Non-Ego* pondere; simplex lux in se sita dissolvit, quae ad radios ejus terrestres pertinent; cogitatio communis relinquit suum personae carcerem! Persona non inaniter in theatro Romano idem significavit, quod histrio-nis involuerum! Animus noster est histrio, corpus persona, vita comoediae actio. Si hommo moritur, histrio personam exxit et domum reddit! Et quid est nunc hic histrio, hic depersonatus animus? Idem prorsus, qui fuerat, priusquam natus esset et comoediā egisset, nempe ens solutum, universum, simplex, idea mera, numen liberum, deus. Sieut aeternus fuerat, ita aeternitatis particeps est, sieut universus, ita universitate fungitur, sive *sicut a deo ortus, ita ad deum reversus*. Utpote personam, quam in exiguum tempus induerat, aliquid esse desiit et non jam est singularitatis suaē conscientia; non jam enim est in spatio et tempore, sed

in infinitione et aeternitate. Ex una atomo est vi ignis sui pulverei sancta ad *Omnideum* latus! Profecto, Flavi! Universitas est animorum patria et essentia, est eorum semen et cinis, est animus hic ipse, qui per me et te loquitur. Dilabimur igitur in communi et universa substantia, sicut roris margarita in coeli sereni regionibus dilabuntur; aliter fieri nequit! Si animus est univeralis, singularis esse non potest; si universus, non singulus; si divinus non humanus; si absolutus, non persona. Quid est Singulare, Singulum, Personale? Ab hypothesi spati temporisque pendet, ergo Finitum, Mortale! Personam esse immortalitati oppositam et vice versa, est revera plus justo dilucidum. *Personae immortalitas* non minus sibi met repugnat, quam finita infinitio, albus nigror, obscura claritas, insipiens sapientia, et quae sunt caetera. Curre itaque, quaeso, mi Flavi, meum in complexum, et nostra amicitia fruamur, et, quae tibi in amoribus sit, cujusque venustas et virtus te delectet, tuam amicam medullitus ama; brevi enim tibi hora audietur extrema, qua tu in universo dilaberis, et nunquam jam tuas delicias, quarum facibus nunc inflammatis, invenies! Est vani nostri ipsorum ac nimii amoris credere, post mortem alterum alteri animo reddi. Coecum atque insipiens pectus nostrum semper florentia elysii littora desiderat, quae esse, qui credit, mente vehementer est captus.

Patescit mili denique, Flavius inquit, quid sit, quidque obstet, quominus tu quaestionis nostrae difficultatem perrumpas. Non recte enim et non e natura rei ipsius cepisti, quid sit, *personam esse*, sed quod sentis, est inane ac vulgi opinioni consimile. Evidem faciam, ut pro hacce ingenio tuo infesta nube, supra te convexa coeli caerulea, per quae sol veritatis naviget, extendantur. *Persona* est, venia autem sit Schellingii, Hegelii, caeterorumque philosophorum hodierni diei lin-

guae, mens, *qua talis* (<sup>18</sup>), sive *subject-objectivitas* (<sup>19</sup>), quae mentem ipsam sese ipsam contuentem et cogitatem perfectissime suimet conscientiam et sibimet parem reddit, sive denique *divina idea sese in omnibus rebus videntis, plenissime noscens et secum aequiparans* (<sup>20</sup>). Idcirco dici potest, deum esse personam merissimam et verissimam. Omnes cuncti homines vivunt hujus merissimae et verissimae personae participes, sunt *unum genus humanum*, ideoque *unus homo perennis atque absolutus, sive homo, qua talis*, — ergo una persona, ut denus ipse. Nec non omnis populus, qui natura sua nihil a natura totius generis humani differt, *una est persona*, quae tum ejus ratione sentiendi, tum moribus, tum rebus divinis, tum institutis, quum nativa et propria ejus indole nisitur. *Homo singulus etiam, quia omnia generis humani et populi, ad quem refertur, ejus quoque sunt*, — e. c. idem corpus, idem animus, eadem hujusce et illius facultates etc. — est persona, et quidem tantundem, quantum sentit, quae sit in ipso hominis perennis et universi excellentia ac dignitas sita, sive quantum est homo verus, homo *qua talis*. *Est Universi omnino et non Singuli personam esse, est animi, non corporis.* Lycurgus ille ab Aleandro oculum suum extenti passus est. Epictetus a suo domino pedem abscindi, atque Hussius a clericis catholicis suum cremari corpus; at nemo eorum coactus est abjecere id, quod sibi persuasis simum, sive quod *suae personae erat*. Nihil profecto omnibus cunctis hominibus, nihil cuicunque populo et nihil unicuique homini sanctius inveniri potest, quam personam esse, nam persona est deus ipse immortalis in corpore mortali. Quod pignus coeli nobis benigne commissum, si quis amittit vel laedi sinit, omnem humanitatem ita exuit, ut comparandus sit cum vermi aut truncu. Persona est illud numen divinum in nobis, quod nostrae naturae lumen, stella aeterna, aut sol elysius appellari

possit, est *animus noster*. Si igitur persona et animus omnino idem valent, animus cogitari nequit, qui non sit persona. Ergo si animus est immortalis, esse tanquam personam immortalem, est necesse. Quae quum ita sint, nihil esse, censeo, quod tu mihi opponere possis.

O te infortunatum Flavium, Victor respondet, atque infortunatam causam, quam ores! Anachoretae revera se ipsum crucianti et verberanti comparandus es, nam ipse te ipsum refutas. Tu enim dixisti, et ego quoque, ut rationis tuae inanitatem ostendam, dico, personam esse omnino absolutam, idemque valere, quod numen corpus nostrum incolens, naturae divinae esse proprietatem; tu dixisti, et ego quoque dico, deum esse personam merissimam et verissimam. Probamus dictum, hoc itaque diligenter tueamur. Genus humanum est persona; sed quid interest inter hanc et illam merissimam et verissimam personam? Dei persona est longissime perfectior, quam persona generis humani. Qui fit? Quod in genere humano divinitas fit humanitas, sive totalitas absoluta fit numerica universitas, quod persona finibus primis circumserbitur. Populus quoque est persona, quae tamen multo imperfectior est, quam in genere humano. In populo enim universitas generis humani fit singularitas, persona finibus secundis, sive contractioribus circumserbitur. Homo denique est etiam persona, sed imperfectissima, in hac enim singularitas populi, universitas generis humani et totalitas dei fiunt unum, individuumque Singulum, persona igitur contractissimis circumserbitur finibus. Quisnam vero est iste finis, qui continuo et semper contractior hic repetitur? Nihil aliud, nisi materia, nisi corpus. Nunc audi sequentia! Genus humanum, si in quopiam planeta, — quod in luna evenisse ferunt, — emoritur, extra fines suos egreditur, infinitum ergo fit, i. e. fit totalitas deo



ipso ingenua. Si quis populus extinguitur, praeda fit universitatis generis humani, et si homo singulus, singularitatis populi sui. Persona igitur, quae est amplior generis humani, minor populi et minima singuli hominis, ad postremum in amplissima, aeterna, unica et sola perfecta dei persona dilabitur. **Hoc Dilabi** autem, num idem est, *quod* personam individuam, ut vulgo desiderant, permanere; *quod* nos divina specie ornatos, — quibus nihil admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex fuerit, — sive nos tanquam animos simplices, singulos et nostri ipsorum, ut his in terris, conscientes esse futuros; *quod* animi immortalitas, de qua agitur? Neutiquam! Omne Singulum, omne Singulare et omne Universum totalitatis absolutae pariter sunt pabulum. — Quid est praeterea animus generis humani, populi et singuli hominis? Totalitas absoluta, quae in vinculis universitatis, singularitatis et individualitatis gemit. Porro, quid est animus generis humani, populi et singuli hominis post discessum a corpore? Totalitas eadem ex carcere suo liberata, sive divinitas, quae servile jugum a cervice sua dejicit, et ad fontem suum, ad deum reddit. Ita est, mi carissime Flavi! Si solum dei simplicis et in se ipso siti est, personam veram esse, et si ideo vivi homines hujus expertes sumus, quo pacto id mortui postulare audemus? **Hoc** postulantes ipsi deus esse, vel deus fieri cupimus. Interimus igitur in communi substantia, et nostra, quae dicitur, persona ad nihilum redigitur. Agedum, ama et vive, cogita, age et fruere; post mortem nulla voluptas!

Siste gradum, Flavius suscepit, atque haec etiam in pectus tuum demitte! Idem deus est una mentis et materiae causa, summa cogitatio et summa substantia simul, sive fons subjectivi et objectivi omnis et cuncti, ac quidquid faciat, id scit. Mundos innumerabiles in

coelis suis accedit et extinguit, a quibus non est pendens; sacrum est mare, a quo omnia flumina existentiae emanant, et ad quod omnia rediunt. In eo principium et finem omnium rerum situm esse, quis negare possit. Nec minus verum est, finem et principium, velut auroram et vesperum rubentem, sibi esse aequalia. Nihilominus finem semper aliquid aliud esse ac principium, hoc etiam est in concessis. Qua in re omni tu idem sentis, quod ego. Age jam! *Principio rerum erat verbum, et verbum erat apud deum, in libris sacris legimus.* In principio erat merum aliquid<sup>(21)</sup>, et hoc idem est, quod merum nihil, contemplatio rerum Hegeliana edit, quae summum locum hodie obtinet. *Verbum caro factum est et habitavit in terris,* in libris saeculis iterum habemus. *Merum aliquid factum est animal*<sup>(22)</sup> e contemplatione rerum novissima intelligimus. Ergo mundus est *incarnatum verbum, sive merum aliquid animal factum,* et nos homines sumus *flores utriusque.* Quid autem est hoc verbum incarnatum, sive merum aliquid animal factum? Est positio in sua negatione<sup>(23)</sup>; aeternitas in sua temporalitate; id, quod omnipotens est, ergo fieri potest, in iis, quae jam facta sunt; id, quod aliquid est, in se ipso, quod aliud est factum<sup>(24)</sup>; sive verum in suo falso, res ipsa in sua specie, archetypum in sua imagine. Atque flores mundi, qui sumus nos homines, quid sunt? Aeternitas sui ipsius conscientia et se ipsam in infinitum frians in temporalitate. Adeo unusquisque homo sui ipsius est conscientius, cognatione dei se teneri sentit, filiumque dei se nominat et alumnus coeli. — Hodie vivimus quidem, mox tamen nobis calcanda est via leti. Quid vero mortuis promittunt libri saeculi, quid philosophia hujus saeculi? *Vos in aeternum vivetis,* in libris saeculis invenimus, et philosophia docet: *Vestrum animal fit notio*<sup>(25)</sup>, *species vera, idea, sive mens, qua talis.* Ergo aeterna vita est noster finis; estne

autem finis hic noster idem, quod *verbum*, hocce principium nostrum? Notio, species vera, idea, sive mens qua talis est noster finis; estne autem finis hic noster idem, quod *merum aliquid merum nihil aequiparans*, hocce principium nostrum? Notio est *merum aliquid et animal simul*, species vera est *triumphalis exitus meri aliquid ex eo*, quod idem aliud fecerat, idea est *subjecti et objecti unitas*, mens denique est *animi et corporis identificatio*, non sunt igitur *merum aliquid*, sive non sunt solum fundamentale ens, solum infinitum commune bonum. Ut victor post victoriam suam differt a se ipso, qui ante victoriam, i. e. qui nondum victor erat, sic quoque differt finis noster a nostro principio. *Vita etiam aeterna librorum sacrorum non solum est verbum*, ex quo caro effluit, sive non solum verbum merum, neque incarnatum verbum, sed jam *verbum excarnatum*, quod mero verbo et verbo incarnato constat, atque ideo utroque est longissime superius. *Non-dum nati sumus numen*, problema, quaestio; *viventes sumus phaenomenon*, axioma, demonstratio; *mortui sumus numen et phaenomenon simul*, sive individua, singula et sui ipsius absolute conscientia *idea*, problema et axioma in uno eodemque ente, sive *acroama*<sup>(26)</sup>, ac quaestio in demonstrationem, atque haec in illam penitus concreta, sive *resolutio*. Quae diximus, sic quoque dici possunt. Ante nos natos fuimus thesis et *aseitas*; viventes sumus antithesis et *proseitas*; mortui erimus synthesis atque *a- et proseitas*, sive *adseitas*<sup>(27)</sup>. Noster finis idem est plane, quod nostrum principium, at tamen hoc est indefinitum et sui ipsius insecum, ille autem definitus et sui ipsius conscientius; hoc est, e. e. a prophetis praesignificatus Messias, ille jam Christus, qui mortem vicit et in coelis regnat. Nostrum principium et noster finis, quoad potentiam, sunt aequalia, sed ad aetum, diversissima. Unde sequitur, mi Amice,

animum nostrum non solum immortalem esse, sed etiam individuum permanere; non in communia substantia integrare, sed *singulum universum fieri*, atque qua tale perseverare. Sumas Hegelii philosophicos libros, mi Victor, studeas diligenter, et bono sis animo! Hic est fructus uberrimus et vere coelestis! Post mortem nos alter alteri sine ulla dubitatione reddemur! Aliquando te divina specie lucentem ipse divino quoque splendore illustratus amplectar, et sane te pudebit memoriam illius temporis, quo nunc disputamus, revocantem!

*Verbum* e libris sacris depromptum, Victor dicit, vel *merum aliquid* Hegelianum, est nostrum principium, quod tu ipse concedis. Quid igitur hoc sibi vult? Nihil aliud, nisi quod universissima universitas, sive deus creator, nostrum sit principium. Atqui *verbum caro fit*, vel *merum aliquid animal*. Hoc vero quid denotat? Universissima universitas in mari arenoso existentiae, — ubi singula vigent, numeritas valet, et granum quodque arenae minutissimum *sibi ipsi* exstat, — in infinitum conteritur, et in myriades frustorum esculentorum et non esculentorum discedit, sive deus *unus* se in *pluralitate* sua manifestat. Hic universissima universitas in apparentia, qua ipsa aliquid aliud facta est, gemit, flagratque acerbissimo patriae suae desiderio, sive deus morae manifestationis suae ad taedium impatiens, ac creatura sua, quae cum incarnat, fessus et lassus, requirit naturam suam primordialem. Morte libertas *verbi* et *meri aliquid* restituitur; utrumque liberatum, ac maleficio ex ergastulo ad patrem suum liberum aufugienti haud dissimile, in mirificam idearum regionem recurrit, quo facto id sit, quod fuerat, nempe universissima universitas. — Hegelius distinguit quidem *merum aliquid* a notione, specie vera, idea, et mente qua tali; suntne tamen omnia haec aliquid melius, quam spectra in metaphysicis sphaeris gesticulantia, quam abstractae cogitationis chi-

macrae, quae in capite non incolumi tumultuantur? *No-*  
*tio* apud eum idem valet, quod merum aliquid et ani-  
 mal simul; *species vera* idem, quod triumphalis exitus  
 meri aliquid ex eo, in quo aliud factum fuerat, sive  
 unio meri aliquid ejusdemque apparitionis; *idea* idem,  
 quod subjecti et objecti unitas; *mens* denique idem,  
 quod animi et corporis exaequatio. Quis est autem, qui  
 hanc notionem semianimalem, hanc speciem veram ap-  
 paritione sua inquinatam, hanc ideam dimidia ex parte  
 sua objectivam, hanc mentem denique, ut ita dicam,  
*subcorpoream*, armato quidem oculo viderit, aut perdiu  
 ante exercito digito tetigerit? (28). Si haec Minervae  
 dormientis somnia nihil aliud sunt, nisi contemplationis  
 abstractae progenies ingeniosa, carent igitur forensi ac  
 sola certa veritatis, vel, si placet, subject-objectivitatis  
 luce. Veritatis nempe, vel vestrae subject-objectivitatis  
 lux forensis ac sola certa, pari modo mentis  
 lumine, ac materiae colore, calore, forma et essen-  
 tia splendet, sive aequa est cogitabilis ac conspicua,  
 aequa intelligibilis ac sensibilis, e. c. manifestatio dei  
 cum omnibus suis rebus, homo etc. etc. Vestrae vero  
 notiones, species verae, ideae etc. etc., quamvis summa  
 vi objectivitatem appetant ac demum se ipsas objecti-  
 vas salutent, manent tamen in aeternum subjectivae,  
 quia nunquam conspicuae et sensibiles fieri possunt;  
 falluntur itaque injusto desiderio suo et ingrato rei even-  
 tu, proceduntque, non, ut verae subject-objectivitatis  
 argumenta, sed, ut *subjectivae subjecti objectivitates*,  
 sive, ut *plenaे subjectivitatis scintillantia fulgetra*. Si  
 isto modo res se habet, *notio*, *species vera*, *idea*, et  
*mens qua talis* sunt nimirum idem, quod *merum aliquid*.  
**Hoc perspicuum Idem Hegelius** acie ingenii sui separans,  
 argumentatione fallace facta, se ipse decipit, et in *pa-*  
*ralogismo*, qui dicitur, sibi ubique et mirifice constat.  
**Ipsum** videntem res dolosa in fraudem conjectit, et nunc

ingenti ejus auctoritate tuta coecis magistri asseclis fumum facit. Ergo animus noster, licet post discessum a corpore ab Hegelianis notio, species vera, idea et mens qua talis dicitur, est nihil aliud, nisi merum aliquid, videlicet redit ad fontem suum, in eoque dilabitur. *Vita aeterna* quoque, quam nobis libri sacri pollicentur, nihil est aliud, nisi, quod ipse dixisti, verbum excarnatum, ideoque *verbum merum*. Si vis, mi Flavi, beatitatis verae fieri particeps, eripe te quam primum e laqueis Hegelii, cuius ingenium, ut profundum est, velut aetheris oceanus, sic unicornis; conditio-nes enim praebet, quibus praestandis *una* solum pars cognitionis humanae, i. e. *una soluta ratio* se obstrin-git. — Ultra hanc vitam me aliquando amplecti speras! O amicissime, pro explorato habeas, mox tempus ven-turum, quo animus tuus, haec vera aquila paradisiaca, qui hodie individuam personam esse tam alacriter sentit, ex cranio tuo evolabit et nidum suum, quo tantopere de-lectatur, vermis, apibus vel certhiae murariae (<sup>29</sup>) incolendum relinquet; — quo tum a matre pia, tum a matre dura, tum ab osso cranio, quem ab omnibus com-pedibus suis absolutus in universissima universitate, sive in deo interibit! Gaudeamus igitur juvenes dum sumus! Hac in vita nobis est dulce vinum; nectar deorum est nihil, nisi erupula animi animum merum et sempiternum contuentis!

Per deum immortalem, nihil minus! Flavius exclamat. Expecta, Carissime, atque haec etiam mente circumspice! Animus est Heracliti et librorum sacerorum *logos*, Anaxa-gorae *nus* (*νοῦς*), Aristotelis *entelechia*, Gnosticorum *aeon*, Pythagorae et Leibnitii *monas*, Schellingii *abso-lutum*, Platonis et Hegelii *idea* (<sup>30</sup>), est *simplum*, *cog-itatum*, sive *numen divinum* in nobis viventibus et cor-pore orbatis. Fieri potest, ut ipse praedurissimus adamus in fluidas aetheris species dissolvatur, nunquam au-tem indissolubilis aeon; ut rupes rigida in pulverem

frietur, sed non infriabilis monas; ut planeta deleatur, non vero indelebilis idea! Quis est, qui unquam cogitatum quodpiam igni congregatio cremarit; qui absolutum, simplum, logon, aut entelechian interire viderit? Divinum numen nulla vi ad nihilum redigi potest, ne ab ipso quidem deo, nisi eum fortasse judices, qui suapte manu se interficiat! Animus est itaque sempiternus, quod verum esse, tu ipse non dubitas. Nunc, obsecro te, quis est hic animus, quis animus tuus, si accuratius quaeris? Est conscientia tui ipsius, sanctus internusque tui ipsius sensus, tua facultas cogitandi et agendi, tua voluntas, libertas, individua et ingenua mens, sed quid quaero? — est tuus intimus atque ipsissimus homo, vel tua *seitas*<sup>(31)</sup>. Si animus igitur tuus interire nequit, non magis quoque tua ab aliis rebus disclusa seitas interibit; sive si ille sempiternus est, etiam haec cum illo. Mi Victor, seitatem tuam ab animo tuo et separare tu frustra conaberis, et ferro atque insidiis rationis tuae appetere, quod deus ipse non pollet! Si animum tuum individuum, sive si animum tuum seitatis tuae participem permanere negas, insitiaris quoque tuam seitatem, et *te ipsum esse* non concedis! Animus tuus ergo non solum est immortalis, sed cum ingenua seitate sua immortalis, atque ut animus tuus, sic omnium hominum animi. Nunc parta esse demum veritatis et explorata victoria mihi videtur.

Deus etiam, respondet Victor, est et logos, et nus, et entelechia, et aeon, atque id praesertim et a principio. Omnes igitur logi, omnes noi (*vōi*), entelechia et aeones, quos e se in creatum mundum suum emitit, ad eum revertuntur, nam nihil aliud sunt, quam ipse. Deus est monas, idea, cogitatum atque absolutum; omnes monades et ideae, omnia cogitata et absoluta, quae ad vitam vocat, ad se mortua recipit, haec enim sunt ipsa ejus essentia. Simplum, sive animus cum composito, sive cum corpore difficile tantum conjungitur, quia pug-

nantia sunt, sibi opposita et infesta; conjunctio haec etiam, quae nostra vita dicitur, est imbecilla et brevis, atque aliquando abolescere debet. Simplum sive animus facililime vero cum simplo sive deo conjungitur, quia unum et idem sunt, atque haec conjunctio manet in aeternum. Seitas hominis est vere seitas dei ipsius, quae in nobis est, ut ita dicam, mortua, et jacet in capulo, quod corpus appellatur nostrum, ac si morimur, reviviseit, i. e. ad deum reddit. Divina seitas similis est vaporibus, quibus caeruleum coeli constat. Si vapores hi ad pluviam concrescunt et guttae aquae fiunt, quod vitam singularum seitatum humanarum repreäsentat, caeruleum coeli obnubilatur, sive extinguitur. Aqua pluvialis autem, quae terram animat, mox evaporat et ad caeruleum coeli reddit. Mi Flavi, non in tuis sed in meis victoria est manus!

Ac ne, Flavius dicit, ante tempus clames: Evoe Bacche! Non solum una est seitas divina, sed infinita quoque singularum seitatum multitudo. Quemcunque numerum magnum cogita, e. c. myriadem. Unitas hujus numeri absoluta est divina seitas; ejus singularum unitatum, quibus constet, multitudo est multitudo singularum seitatum. Altera alteram supplet ac per alteram existit. Sicut de hac myriade nullus singulus numerus, sive nulla singula unitas detrahi potest, nam eo ipso myrias esse desineret; ita etiam ulla singula seitas a divina seitate, sive ullus animus ab universali mente dei demum nequit, si deum ipsum auferre nolis. Interitus unius singuli animi rumperet, finderet et tolleret deum ipsum; ac solutio unius singuli animi in communi substantia, sive expansio unius animi ad deum ipsum, — quasi expansio unius **1. 2. 3.** etc. etc., i. e. unius monadis, dyadis, triadis etc. etc. ad ipsam myriadem, — saltus foret, quem neque natura facit, nec logica tolerat.

Deus est, Victor respert, non *numerabilis* sed *sim-*

*plex unitas; non rhapsodia, sed systema.* Omnis numerabilitas est continua successio, atque haec est temporalitatis cursus; deus autem est aeternitas, igitur aequa successionem ac temporalitatis cursum ludibrio habet. Singuli animi in deo, ut singulae unitates in myriade tua, radicari nequeunt; tum enim deus nihil aliud esset, nisi *animorum summa*. Singuli animi non sunt unitates *hypotheticae*, quae in myriade affixa sint, sed unitates *absolutae* et myriadi ipsi pares, sive sunt verae effigies dei, numina, deus ipse, ergo — in deo disfluunt. Animus non facit saltum, si in communem substantiam transit, haec enim et ipse unum atque idem sunt; tametsi semper migrat, tamen nunquam deletur, ergo neque rumpit, neque finit, neque tollit deum. Mi Flavi, iterum verba inania fecisti!

Unumquemvis animum singulum et individuum esse sempiternum, Flavius dicit, id est nulla solum magnificientia verborum, nullum mendacis metaphysicae commentum, sed in capite et pectore omnium mortaliuum veritas ipsa pervigilans. Haec vita, quam hodie vivimus, est, quod nihil dubitationis habet, continua lamentationum et dolorum series. Optimus quisque, honestissimus ac sapientissimus, Socrates quisque, Christus quisque et Hussius quisque his in terris sine misericordia vexantur, ubi admodum malus et prorsus abjectus, qui nullum vulnus a fortuna accipiant, bacchanalia celebrant. Penes nebulones et infamissimos homines est hic potestas et honos; pectus furciferorum splendet auro et sexcenta veruta tyramnum tutum praestant. Gloriae divinae nimbo circumdatur, qui in odium offensionemque totius nostri generis irruat; atque jacet, qui revera sit aris conserandis dignus. Satanus est hic dominus et angelus servus; ille artifex hujus mundi scenicus, hic, si felix, tantum spectator, si infelix, calo ejus invitatus. Quid, num nihil amplius, nihil majus eupimus atque ap-

petimus, nisi quod haec vita miserabilis nobis offert? Estne igitur hic noster modus, quem ultra progredi non oporteat, estne hic noster finis? Nunquamne suppicio malus afficietur, atque aequam laboris sui mercedem bonus accipiet? Nullane sensu perempto remuneratio est speranda? Quod si est, quid sit tum deus? Neuropaston manibus diaboli morigerum, fraudis ridentis inventio, politices machina? Nequaquam! Non pecudum ritu his in solis habitamus, verum, ut sementem fecerimus, ita et metemus! Animum esse sempiternum et remanere ab aliis rebus sejunctum, si negas, virtuti praemium aufers ac vitio poenam, tollis coelum et orcum, rectos mores, bonum, pulchrum et honestum, justitiam dei abjicis, deum ipsum demis!

Rantius, vir celeber, ac sagacissimus, Victor reponit, qui, critice sua merae rationis, propugnaculis cognitionis humanae, deo videlicet, animo, libertate et quae sunt caetera, amisis, providi militum dueis more, ea esse non necessaria quidem in doctrinæ, sive, ut dicit, in *theoriae pugnatoria arena*, declarat, caque tamen utpote molestiarum bellicosae vitae, vel, ut in lingua ejus sonat, *practicæ rationis postulata*, capessere studet, magnum non sapientiae humanae, sed prudentiae posuit monumentum. Tu omnino idem facis. Animi enim individui et singuli immortalitas jam te in doctrina fugit, postulas eam igitur, qua rectos mores, coelum, orcum et remunerationem sempiternam serves. Proh dolor, quam parvi pretii sunt e tua sententia homines! Audi, Flavi! Homo, quo e paradiso ejectus est, ex eo tempore ab infantia sua decessit. Recte agit non ideo, quod pappus coelestis ei pro comitate osculum ferat, aut placentam dulciariam præbeat, sed quod ipsi persuasissimum est, *virtutem esse summum bonum, summamque beatitudinem efficere*; — scelus odit non ideo, quod ei ferula coelestis pappi timorem injiciat, sed quod e na-

tura sua malum atque dishonestum detestatur. Si est sapiens ac virtuti paret et obedit coelum immensum parvo pectore suo amplectitur; sin est stultus et scelus amat, ab omnibus inferorum furiis jaetatur. Ea, quae dixi, sentiens et comprobans, istam, Amicissime, Pyrrhonis *ataraxiam* (<sup>32</sup>), i. e. absolutam animi tranquillitatem et constantiam, quae nulla re convelli possit, adipisceris, et virtutem, non ut vilis mercenarius in diem conductus futuri auctoramenti gratia, sed quia tuum est officium et felicitatem tuam constituit, quia tua humana-  
tias sic jubet, exercebis. Animum itaque esse tanquam individuam personam sempiternum, si negabis, quod certe negandum sit, quia est falsum, neque rectos mores, nec coelum et orcum, nec bonum, pulchrum et honestum abjicies, neque deum demes, verum contra, omnia haec in luce veritatis videbis.

Quae ingenio tuo volvis, inquit Flavius, et quae acerrime contra immortalitatem individui animi asseris, ea peroras tam incredibili studio elatus et tanta cum contumacia! Quid hoc rei est? Tuam quam maxime tibi propriam indolem, sive tuam ingenuam seitatem fortiter tueris. Et ea, pro quibus tu nunc tam obstinate propugnas, visne post mortem tuam funditus et radicitus perdere, an vis fortasse cum causa, quam ego defendo, permutare? Nihil minus! Imo vero haec, etiam vita orbatus, in discrimen vocare et omnino pessum dare nolis, quorum salutem nunc pro parte virili expidis. Nonne hoc patrocinium persuasionis et sententiae tuae, ejusdemque perseverantia sunt tibi documento, animum tuum, qui se nunc individuum sentit, individuum quoque in aeternum permanere velle? Et vero ita existimas, Victor! Inscius veritati indulges, cui tam ferociter instas, tecum ipse pugnas!

Ut paucis dicam, refert Victor, haec est ratio, cur sententiam meam defendam. Animus meus est divina

universitas, quae, in praeminuta atque angusta corporis mei cella inclusa, ab imo pectore suspiria dicit, summo suae primordialis naturae desiderio tenetur, liberas infinitionis regiones petit, cogitatione sua extenditur, et vincula sua rumpere contendit. Est animus meus, ut dixi, divina universitas, nec minus igitur id, quod cogitatem, sentiam ac persuassimum mihi habeam, est divina universitas. Divina haec universitas e labris meis fluit et se ipsam pronuntiat! Ea de causa igitur multo majus mihi, quam tibi, jus datur, ut rem meam cominus geram.

Concedis, credo, suscepit Flavius, *cogitatum* tantummodo veram esse existentiam et cujuscunque existentiae purum fontem, atque adeo, *cogitatum* unice, solum, proprie ac peculiariter veritatis fundamentum et veritatem ipsam efficere. Recte! Animum igitur semipernum esse atque individuum permanere, id est etiam *cogitatum*, quod non modo meo in ingenio, sed plus minusve in omnium hominum ingenii exstat, ergo est illa unice, solum, proprie ac peculiariter vera veritas, quam concelebramus. Hocce *cogitatum* pari modo, atque unumquodque, nulla vi frangi et absolutae occidioni dari potest, quippe quod verum sit et simpliciter aeternum.

Jam semel atque iterum, Victor subridens refutat, ab Hegelianis, si naufragium medio mari psilosophico faciunt, et salvos se esse velint, foenum hujus argumenti in os mihi est insertum. Hujus rei facilis et promta est mihi haec responsio. Homunculum quemdam novi, qui *hoc singulare*, mira autem narro, *cogitatum* animo in suo soverat, ranam esse in cerebro ejus natam, et perpetuo coaxare. O Flavi, *cogitatum* tuum vix melius est, quam hujus homunculi! Neque injuria! Quid enim magis ineptum dicere potueris? Huius homunculo tamen a suo medico, qui, operationem chirurgicam simulans, frontem ejus vulneravit et in sanguinem ranam aivam, quam diligenter oculuerat, injectit, redditum est

sanitas. Quaenam autem medicina te, mi Amicissime, sanum facere possit? Caeterum, nonne etiam sententia mea de hominis immortalitate est *cogitatum*, ideoque pari juris conditione, ac tua, verissima veritas? An forte *solus* ita sentio?

Causam meam dicit consensus gentium, Flavius indignans et moroso animo interpellat, pollentem igitur maeccenatem habeo. Omnes nationes, tam cultu et humilitate excellentes, quam fera agristica vita demersae, et Graeci et Barbari, omnes omnino fortissime credunt, non solum animum esse sempiternum, sed quoque, eundem esse, etiam quum a corpore secesserunt, personam, quae illis in oris, quas, qui e vita excesserunt, incolunt, propinquis et amicis suis laeta redditur; omnes recte sentiunt et docent, a deo justissimo mortalium patre pravos atque impravos aestimandos, unicuique ea, quae meruit, numeranda ac solvenda fore. Consensus omnium hominum, si acriori mente comprehendatur, est judicium *hominis aeterni et veri*, sive *hominis divini*, aut, ut in proverbio est: vox populi, vox dei. Hiece consensus est veritas ipsa, quae in forum egreditur et propalam innotescit, est multo majoris momenti, quam profundissima unius singuli hominis philosophia, multo gravioris argumenti, quam tua, mi Carissime, sapientia!

Ain' tu? Victor celeriter reponit. Me dius fidius vix auribus meis credere possum, quum te tam inconsiderata, tam gregaria, sed temere dicto concedas, proferre audio! Vetus sum hoc Epicureorum summi discriminis argumentum requiescat cum cinere inventoris sui in aeternae oblivionis urna, persistere enim in nostri saeculi septicolorea luce nequit! Quidni, quaeris? Ratio rei est simplex. Consensus gentium enim, qui per spatium quater mille annorum gentilem dei cultum pro summa veritatis adoratione habuit, atque eundem cultum hodie vehementissime sacro ore sacerdotum suorum ex-

secratur, eundemque et mythologiam, et fabularum congeriem etc. etc. cum dedocere vocat; qui Christum olim ut maleficum praestigiatorem et periculosum planum eraci suffigi jussit, eidemque hodie templa exstruit; qui orientalibus in regionibus plures mulieres singulis viris in matrimonium ducere imperat, nobis autem occidentalibus persuadere vult, caelibes solummodo viam sibi ad coelum munire; consensus gentium, inquam, est mendax, qui omnes verecundiae fines transit. Nonne vox populi veneficas in ardenter rogum imposuerat, nonne quaesitorum christiana fidei tribunalia, aut judicia dei, quae vocantur, et quae aqua et ignis fecerat, instituit? Sed finis sit! Cicero jam pridem dixit (<sup>33</sup>): «Grave argumentum tibi videbatur, opinio de diis immortalibus et omnium esset, et quotidie cresceret. Placet igitur tantas res *opinione stultorum* judicari, vobis praesertim, qui illos insanos esse dicatis?»

Hegelianae philosophiae, inquit denuo totus sibi displicens (<sup>34</sup>) Flavius, quae in assequendis rebus divinis *Credere* primo et *Scire* secundo loco ponere, sive, ut theologi dicunt, *fidem ratione* superiorem esse, docet, libentissime faveo. Ad sanctionem veritatis, quam enuntiatio haec complectitur, dicit me quoque infelix colloquium nostrum, quod facimus. Si indoles enim tua, Victor, a fide vera non aliena fuisset, mens tua procul dubio in contrariam iret partem si; pectus tuum rerum sanctorum amorem fovisset, cum Goeschelio et Hinrichsio (<sup>35</sup>) diceres: Ultro istam philosophiam a me, quae *fidem meam* delere possit! Credere superius est mihi, superius omnibus sapientioribus, quam Scire. Sed tu aliter constitutus es, sive potius te ipse constituisti, et hoc modo splendentissima et pellucidissima veritatis stella in animi tui coelis circulos suos orbesque mirabili celeritate confecit, et, quod sane dolendum est, evanuit. Praeclare tecum agitur, genus humanum! Augusta

enim Christi doctrina in animis liberorum tuorum teneris imprimuntur, qui ante juventutis rebelles annos omnem fidei aurem praebere, philosophiae autem obsurdescere discunt, et sic sine periculo in sapientia vera progrediuntur! At quid loquor? Te ut ulla res frangat? Tu ut unquam te corrigas?

Ora pro nobis, sancta dei genitrix! Victor per ironiam respondet. Praeclare ergo tecum agitur, Sinensis imperator, populi enim tui infantes praemature adsuscunt, praetores consulesque tuos flexis genibus venerari, et sic coelestem majestatem tuam facillima mente complecti! Praeclare quoque tecum agitur, agricola, juvencis enim stabuli tui praemature jugum imponitur, qui sic ad perspicuam pervenient destinationis suae cognitionem, et permanent, quousque vivunt, *stulti boves!* Abi malam in crucem, coeca fides! Jam in Hispania, Italia, Germania et America magnam vim humani sanguinis effudisti, jam sat potasti! O Flavi! Hodie maxima deo immortali habenda est gratia, quod coecam fidem in posticam magni theatri humanarum rerum partem propagavit, et rationem insigni visu praeditam in secundam introduxit!

\* \* \*

Nunc demum Flavius graviter amico suo iratus disputationis finem fecit, ac vive et vale dicens atque aegre ferens discessit. Omnes pantheismo et orthodoxiae obnoxii eodem fere modo, quo Flavius et Victor, vicissim et late contra opiniones suas disserunt, multisque verbis ultro citroque habitis, nullum exitum rei adipiscuntur, et irati domum redeunt. Nonne talis hujus disputationis finis fere quotidianus demonstrat, utramque hic partem parum accurata rei cognitione laborare, neque minus a falso quam a vero affici, sive in iis, quae sunt extrema et pugnantia, versari; nonne igitur patet,

templum optatae veritatis prorsus in aliis scrutandi regionibus quaerendum esse? Nos saltem hic nihil aliud, nisi: «*ita sane!*» respondere possumus. — Praemissis itaque necessariis quaestioneis nostrae praestigiis, sententias nostras de vita hominis aeterna dicturi sumus.

## III.

Deus est omnino *immensum*, *aeternum* atque *omnipraesens* cunctae existentiae *Totum*<sup>(36)</sup>; manifestatio ejus est idem immensum et omnipraesens, sed in aeternitate sua semper momentaneum, sive semper sibi succedens vel semper profluens *Totum*. Deus est absolutum et simplex numen, ideoque aeternus, manifestatio ejus est hypotheticum et compositum phaenomenon, ideoque temporis inclusa; ille est opifex mundi, haec congeries omnium rerum sive mundus. Deus et mundus sunt tamen idem ipsissimumque *Totum*, quod materia et mente<sup>(37)</sup>, idque in strictissima harum unione, quae vita vel aeterna vel momentanea dicitur, constat. Materia dei est absoluta et simplex, materia mundi hypothetica et composita, utraque autem *externa* veritatis ac sensibus nostris objecta communis facies; mens dei est etiam absoluta et simplex, mens mundi hypothetica et composita<sup>(38)</sup>, utraque autem *interna* veritatis ac rationi nostrae objecta communis vis, facultas et virtus. Materia dei et mundi est corpus, mens dei et mundi animus unius ejusdemque aeternae ac se ipsam manifestantis existentiae; materia est mens, quae cerni potest, mens est materia, quae oculos effugit; illa et haec sunt principia sive potius elementa dei pariter ac mundi. Principia haec et elementa sunt autem aliter, ac per vulgato sensu, accipienda; non enim *fundamenta* dei et mundi, sed *polos* eorundem, vel *dimidiis partes*, easque quidem haud quamquam in natura rerum ipsa, atta-

men in cognitione nostra necessario apparentes, constituant. Materia et mens nempe sunt, nec priores, nec majoris ponderis, quam deus et mundus, verum cum utroque simul et pares, quia *inseparabilia momenta* illius hujusque ab aeternitate et in aeternitatem manent. Sieut corpus et animus unum eundemque hominem efficiunt, ita materia et mens in deo et in mundo convenientur atque idem fiunt. Ubi nulla est materia, ibi quoque nulla mens et vice versa. Obsecramus, ponat nobis, qui neget, meram, i. e. ab omni mente separatam materiam ante oculos, aut ostendat animis nostris meram mentem! Ut vox humanae orationis sine notione et notio sine voce, sic materia sine mente et mens sine materia nunquam reperiuntur. Ut *sensus nostri* et *ratio nostra* in fonte cognitionis verae, quae *animadversio*<sup>(39)</sup> est et dicitur, sic materia et mens in *veritate* humanae cognitioni objecta, qui deus est et ejus manifestatio vel mundus, semper secum sunt et in unum confluunt. Materia et mens tantum ab animo humano, tum externam tum internam veritatis speciem investigante, distinguuntur, revera autem idem atque unum sunt; tantum in cogitabilibus existentiae principiis differunt, in existentiae ipsius vita vero, vel aeterna vel momentanea, candem vim sententiamque habent. — Nee fugit nos, philosophiam nostram, quae in paucis his verbis spirat, quae audacter contra popularem atque omnibus caram acceptamque sapientiam in medium procedit, quaeque *deum* non minus quam mundum materia et mente constare docet, praecepit a monotheistico germanae gentis ingenio, tam per raro recte intellecti et tam persaepe maledictis vexati *pantheismi* convicio correptum, vehementissimeque increpitum iri<sup>(40)</sup>. Nobis tamen est persuasissimum, ac maximopere dilucidum, pantheismum esse *primam* sive *positivam* cuiusvis verae sapientiae radicem, eidemque, tanquam *secundam* et *negativam*, monotheismum

opponi, nec non ex utraque hac solummodo radice unam eandemque sanctam Apollinis, omnium musarum dei et patris, arborem egerminare. Vera philosophia quidem non est pantheismus, at nulla sine pantheismo probabilis. Sed de hac re et hoc loco satis! — Ex omnibus nunc, quae a nobis dicta sunt, summa haec sapientiae humanae lex sequitur: *Ne semoveas materiam a mente, neve mentem a meteria; ne disseces plenam et semper totam veritatis vitam; ne dividas, quae deus ipse ab aeterno et in aeternum copulavit!*

Si deus est inseparabile et simplex aeternae existentiae Totum, si porro manifestatio dei sive mundus idem est Totum ac principia sua non disjungit, si denique homo effigies est dei fidelissima et flos mundi perfectissimus; homo est etiam inseparabile ac simplex Totum. Ut deus et mundus materia ac mente, quae eorum sunt, constant, sic homo est corpus et animus simul. *Homo est totus corpus et totus animus, ac utrumque quod est, totus idem.* Corpus ejus est *externa*, animus *interna* unus ejusdemque inseparabilis singulae existentiae indoles; illud est animus, qui aspectu sentitur, hic corpus non aspectabile. Ejus oculus animo ejus, velut sol luce sua, radiat; visus ejus est animus lucens et vox animus sonorans. *Physiognomia ejus, quae dicitur, est psychologiae speculum, et psychologia physiognomia convelata.* In toto hominis corpore est animus praesens, atque ad totum ejus animum corpus inhaeret. Cerebrum ejus et cogitatio, cor et affectus, hepar et festivitas, nervi et vis sentiendi, musculi et vis agendi, sanguis ejus et temperamentum, omnia haec et caetera, ut corpus et animus pugnantia, sunt inseparabilia, semper simul atque una, semper Idem<sup>(41)</sup>. Lex igitur sapientiae humanae summa, quam jam novimus, hic ita constituitur: *Veritatis amice et investigator, ne homi-*

*nem in corpus et aninum praecidas, ne dissolvas, quae deus ipse conglutinavit!* (<sup>42</sup>)

Aeternitas deum et tempus manifestationem dei sive mundum complexu suo coërcent et continent, nam illa est infinitae et hoc finitae existentiae forma. Aeternitas est tempus in potentia et tempus aeternitas in actu; illa et hoc sic omnino, ut deus et ejus manifestatio, ad se invicem referuntur. Quia tempus est *aeternitas* se ipsam manifestans, caret igitur initio et fine, sive non gaudet primo excursu atque ultimo cursus sui recursu, sed aeterno currit; quia tempus porro non aeternitas ipsa est, sed aeternitas, *quae se manifestet, quae ideo se ipsam continuo auferat*, est igitur semper solummodo momentum, solummodo minutulissimum momen (<sup>43</sup>); quia tempus denique *aeternitatem manifestat*, est igitur non solummodo minutulissimum momen, sive non solummodo semper praesens, sed etiam sine initio praeteritum et sine fine futurum. — Aeternitas et tempus sunt autem duntaxat, ut jam dictum, existentiae *formae*; *essentia* existentiae est deus atque ejus manifestatio sive mundus, una cum evolutionis suae palma, i. e. cum homine. *Relationes formae* vero sunt etiam *relationes essentiae*, nam forma et essentia, velut e. e. lucis linea et solis radius, sunt revera idem et nunquam a se secluduntur. Deus igitur et mundus prorsus sub eandem rationem, sub quam aeternitas et tempus, cadunt. *Ergo deus manifestat se non solummodo praesenti, sed etiam praeterito et futuro tempore simul.* Ejus calidum cor ac vivo sanguine micans, ut ita dicamus, haeret semper in (<sup>44</sup>) praesenti tempore, prius dimidium ejus extenditur in praeterito et posterius in futuro. Manifestatio ejus non nisi hoc modo sempiterna, atque imperium ejus in mundo non nisi hoc modo perenne fieri potest. Quae tantum quod diximus, ea obsereramus et obtestamur, ut potissimum observentur. Admodum gravia enim sunt, quia profitentur, praeteritas res ne-

quaque deleri, sed ad manifestationem dei integrani pertinere, mortuos itaque homines non e regionibus existentiae emigrare, sed in iisdem permanere; quia profitentur, vitam praeteritam a vita praesenti relative tantum differre, absolute autem eandem vitam, quae fuerat, semper esse et perseverare. — Unoquoque praesenti tempore, sive in unaquaque fluentis horae millesima et centesima parte totum tempus praeteritum et totum futurum coalescunt, nam tempus praesens semper est ovum, quod totum tempus praeteritum ponit, et cui est totum futurum, quasi ejusdem embryo, inclusum; tempus praesens tamen neque praeteritum nec futurum tollit, nam, si hoc fecisset, principium et fontem existentiae suae sive aeternitatem, ideoque se ipsum demeret. Sic quoque *totus* deus unicuique praesenti tempori interest, et non desinit simul *totus* in praeterito et *totus* in futuro tempore versari. Deus est tamen praesenti tantum tempore sui ipsius conscientis et compos, nam tota ejus praeterita ac tota futura sui ipsius conscientia pariter ac omnipotentia semper in praesenti dissolvuntur. Etiam deus immortalis, si cogitat, jubet et agit, sive se ipsum manifestat, tempore tenetur, nam cogitatio, jussio et actio sunt motus, omnisque motus tempore tantum expeditur. *Aeternitas non est motus, sed absoluta stabilitas.* *Hic etiam unus significationis vitae aeternae radius fit conspicuus.* — Tempus futurum est praesens, quod autem nondum est natum; tempus praeteritum est item praesens, quod autem jam interiit, sive est praesens mortuum; utrumque vero utrique et praesenti ipsi perfectissime par, ac eum utroque et praesenti ipso omnino idem, nam et praeteritum et futurum est praesens, quod quidem aut fuit, aut erit, attamen *praesens* fuit et *praesens* erit. Totus deus itaque, videlicet tota *simplex materia* et tota *simplex mens*, quae ad totam substantiam aeterni numinis divini pertineant, in eademque se invicem amplectantur atque idem

fiant, totus dens, inquimus, aequo in futuro ac praeterito, quam in praesenti tempore reperitur. Ergo homo quoque, qui vera effigies dei est, aequo futuro et praeterito, quam praesenti tempore non nisi *totus* valet, videlicet, aequo *futurus* et *praeteritus* quam praesens homo est corpus et animus simul, vel unum et simplex *Ego*. Inde sequitur, neque *corpus hominis*, neque *animum ejusdem*, sed *totum hominem ipsissimum*, sive *hominem*, tanquam sensibile et intelligibile *Ego*, personali aeternitate frui et sempiternum dici posse. Haec res, quae procul dubio pluribus permira videbitur, est verissima, sit ideo nunquam e memoria nostra evelenda. — Tempus futurum, sed petimus et contendimus, vocabulis technicis, quae Ciceroni quidem haud necessaria fuerint, quibus tamen nos longe subtilissimi barbari nullo modo carere possimus, venia et impunitas detur, tempus futurum, inquimus, est *idealitas*, praeteritum *realitas* et praesens *efficientia* (<sup>45</sup>) unius ejusdemque existentiae. Futurus homo igitur quivis est *homo idealis*, sive est cum corpore et animo suo *possibilis*, i. e. qui effici possit; homo quivis praesens est *homo efficax*, sive est cum corpore et animo suo *adseriorius*, i. e. qui sit sui ipsius *concius* et *compos*; quivis homo denique praeteritus est *homo realis*, sive cum corpore et animo suo *necessarius* (<sup>46</sup>), i. e. semper manens atque in aeternum indelebilis. Haec inexorabilis *necessitas existentiae hominis praeteriti est nostra immortalitas*, quae tamen ab *immortalitate historica*, quam vocant, diligenter est distinguenda, quippe quae non solum celeberrimos et praeclarissimos viros, sed *omnes omnino, mulieribus etiam et infantibus non exceptis*, a praesenti tempore in praeteritum sive in sempiternum tempus transvehat. *Historica immortalitas* est vita defunctorum in viventium memoria, et *immortalitas*, quae hic instituitur, est vita defunctorum in perfecta atque exacta, sive in praeterita

manifestationis dei statione; *illa* est semper manca et nonnullis tantum numeris suis absoluta, quia de tam magna vi hominum, qui haud multi nominis fuerint, nihil seit, ac res gestae etiam, quas diligenter conservet, tam nimia obscuritate, tamque parum firma fide et tanta perturbatione laborant, *haec* autem est integra, plena ac certa, quia omnes cunctosque mortuos, atque omnia eorum facta, dicta et cogitata, sciantne *quidquid istius modi* homines an nihil, accuratissime continet; *illa* vigeat per hominem, *haec* per decum ipsum; *illa* continua traditione humana nititur, *haec* divina realisatione uniuscujusque efficientiae. Dicerimen hoc intra historicam et veram immortalitatem tanto magis est considerandum, quanto facilius ex animo nostro effluens totam rem, quae nos tenet, turbare possit. — Futurum tempus est *indefinita*, praesens *definiens*, et praeteritum *definita* existentia. Si homo itaque nascitur, ex indefinito homine fit definiens; si moritur, ex definiente definitus. *Adeo manes vivunt perpetuo et sunt sempiterni*, quando quidem, quod semel definitum sit, definitum in aeternum maneat. — Analysis haec temporis, quae luminis veritatis et tam dilucidas rei nostrae suppeditet scintillas, ducit nos ad hanc vetustam, gravem et sanctam veritatis legem: *Quod praeteriit, est indeleibile. Quod semel exstitit, aut semel evenit, permanet in aeternum immutabile.* In tempus praeteritum, quod est aerea necessitas et jejunum fatum, manus nostras intentare nequimus. *Quemcumque Pluto infernalis in imperium suum excepit, tenet semper, nec unquam nobis reddet!*

Manifestatio dei, tanquam aeternus aeterni numinis habitus, semper eadem manet, et, tanquam temporarium temporarii phaenomeni momentum, semper mutatur, sive, tanquam universale Totum, semper eadem perseverat, et tanquam singulare Totum, semper alia evadit. Hodie e. c. innumerabilia sidera, — quae nostrum coe-

lum, quum splendida lux diei sub orbem terrae subeat, in dei immortalis immensam transfigurant ecclesiam, ubi lampadum et candellarum loco viae lacteae et innumeris soles accenduntur, — lucent nobis tam excelse, tam jucunde, tam suaviter! Verum lauta haec ecclesia aperta et propatula omnibus temporis praeteriti noctibus fuit, omnibusque futuri temporis patebit. **Hic** manifestatio dei, tanquam *universale Totum*, quod semper idem perseverat, laudatur. — Singula autem sidera, quae hodie lument, non fuerant ante multa saeculorum millia, et non erunt post multa saeculorum millia, quoniam quodeunque eorum est singulum, et quodeunque Singulum, perinde ac homo quisque, oriatur et intereat est necesse. **Alia** tamen singula sidera loco eorum, quae cernimus, luxerant et lucebunt, quum ea, quae cernimus, non fuerant et non erunt, etenim manifestatio aeterni dei, velut nullum initium, sic etiam nullum finem habet. **Hic** item manifestatio dei, tanquam *singulare Totum*, quod semper aliud evadit, celebratur. — Manifestatio dei perennis est, et in omnibus temporum voraginibus semper salva atque in columnis, semper suo statu conservatur; sub venenifera arbore, quae Boom Upas<sup>(47)</sup> appellatur, subsidere et calvificari nequit; in continuo transitu aliam in speciem nullam essentiae suae stillam, nullamque intelligentiae suae notionem perdit; quae tamen olim fuerat et nunc non est, manu dei omnipotentis, ut ita dicamus, indelebilis praeteriti temporis in libris inscribitur, in iisdemque in aeternum legitur. Manifestatio dei suam igitur, ut per excellentiam dici possit, historiam possidet, et veritas hujus historiae, etiamsi ab hominibus non cognoscatur, est certa et immutabilis. Historia, de qua agitur, sive historia vera vel historia latissimo sensu, qui sub hac voce sit subjiciendus, nihil est aliud, nisi existentia omnis et cuncta praeterita, nisi plena extinctae praesentiae vita. In hac tantum absoluta historiae, quam autem nemo nisi deus ipse

novit, significatione, *immortalitas hominis historica*, et *immortalitas hominis vera*, quas diligentissime distinguimus, inter se congruunt. At vero haec historia quanto-  
pere differt ab illis fabulis, quae vulgo historia nobis vo-  
catur! Hie sequentia sunt extollenda: *Tempus praeteri-  
tum manifestationis divinae est ejusdem sancta apotheo-  
ses regio sive divinum elysium; ejusdem historia, sive  
ejusdem vita in dei memoria et conscientia, vita ejus  
semipeterna; torpor ejusdem perennis, ejus coelestis habi-  
tus; ejusdem stabilis permansio, summa ejus beatitas.*

Quae conditio et constitutio in *universali et singu-  
lari* manifestatione dei perecipitur, eadem in hesperio  
hujus manifestationis pomo, sive in homine offertur.  
Nos homines nostra existentia mirifice delectamur; co-  
gitamus, desideramus et agimus, mutuo amore nos am-  
pleteamur et acerbissimo odio ardemus; sumus sapien-  
tes et insani, multarum rerum gloria insignes et pror-  
sus ignoti, actuosi et pigri, fortes et ignavi; habemus  
corpus et animum simul, liberam voluntatem, sensum  
recti et venusti, veri et pulchri, taedium pravi, pu-  
tidi, falsi et horribilis; nos imperamus et servimus, cru-  
ciamus et cruciamur, ridemus et ploramus; muliebribus  
et infantibus similes sumus et in perpetua inconstantia  
nostram constantiam fundamus. Eadem natura autem  
nostris in atavis inerat, ac nostris in pronepotibus ince-  
rit. *Universale Totum humani generis, quod semper  
idem perseverat, nunquam mutari potest, atque homo,  
quem Hegeliani qua *talem* vocant, est una divus et in-  
fernalis, angelus et diabolus, tyrannus et servus, suau-  
viter olens balsami unguentum et anima latrinae foetida!* — *Singulare vero humani generis Totum, quod sem-  
per aliud evadit, sive genus humanum, tum illius tum  
hujus saeculi, et tanto majus ejusdem singularis Totius  
singulum Totum, sive individuus homo quisque, con-  
tinuo novum sibi ingenium, novos mores, novamque*

vitam induunt et continuo mutantur. Verum vero unaquaeque hora, quam nostri immemores saltando aut ejulando amittamus, quam amori aut odio offeramus, virtuti aut flagitio consecremus, et unumquodque momentum vitae, quod duleissima aut amarissima nobis praebat, praefereunt, ideoque in aeternum obtorpescunt. Omnes res gestae, quas efficimus; omnis vox, et gravis et inanis, quam fundimus; omnia, quae animo cogitamus, sentimus, versamus, volvimus et revolvimus; omniaque, quae ultra modum verae affectionis amplectimur, et quorum nos ipsos tacite pudet, — ob eandem causam fiunt immutabilia, rigida, atque in aeternum petraea. Retina, qua oculus dei est praeditus, omnino omnibus locis et omnibus temporibus, numquam defatigata intenditur, atque in foro perinde ac caverna in occultissima vigiliat; geniusque noster tutelaris quidquid vidit et audivit, scalpro excipit et in aeternis praeteriti temporis saxis insculpit. Quae praeterierunt, nullo igni comburi, nullo gladio detrunnari, nulla vi deleri, neque ab ullo philosopho corrigi, nec ab ullo ministro et adjutore aulico flecti, nec demum ab ullo augusto, potentissimoque rege revocari possunt. Si igitur nostra facta, nostra dicta, nostra cogitata, nostra optata, sperata, affectata etc. etc. quum praeterierint, indelibia et sempiterna maneat, quanto magis justum ac certum, ut nos, qui principium et fons eorundem sumus, morte obita deleri atque in nihilum interire nequeamus!

Quid homo ipsissimus, sive quid sempiternus hominis, eique tantummodo ingenuus *nucleus* sit, paucis nunc est explanandum. Homo est, ut pridem diximus, *corpus et animus simul*. Quid itaque est corpus hominis? Corpus hominis non est nostrum Ego, quod nos ab aliis hominibus, aliisque rebus distinguat atque immortales faciat, non est nostra *seitas* (<sup>31</sup>), quae individua in aeternum permaneat, nam corpus nostrum est aliis

corporibus natura sua simile; e physicis et chemicis elementis constat; a semine parentium nostrorum originem suam ducit; herbis et carne, sive alienam substantiam substantiae suae assimilans, crescit et sustentatur; post mortem nostram denique dissolvitur, atque alienam substantiam nutrit. Corpus nostrum est *divinae, sive universalis materiae*, ex qua oritur et in qua extinguitur, *dominium*, et nos sumus *temporales tantum ejus conductores*. — Et quid est animus hominis? Animus noster etiam, licet omnes philosophiae, quae adhuc fuerunt, vehementissime obstent, *non est nostrum Ego, non est nostra seitas*, nam mentis universalis fidele simulacrum et omnibus caeterorum hominum animis perfectissime par est; eadem cogitandi, sentiendi, cupiendi, et agendi facultate, iisdemque omnino elementis, quibus omnium hominum animi praediti sint, viget; ab animis parentium, qui nobis primam vitam, primas rerum notiones, primaque cogitandi, sentiendi, cupiendi et agendi praecepta dent, proficiuntur; digestione aliorum animorum, sive alienis sententiis, alienis systematibus et aliena sapientia, i. e. alienam substantiam substantiae suae assimilans, crescit et sustentatur; jam, dum vita hac fruamur et spiremus, si aliquid loquimur aut scribimus, libenter emigrat, atque alienis in animis liquefit, et denique, dum moriamur, fit, ut e. c. Platonis, Kantii, Hegelii etc. etc. animus, communis animorum esca. Animus noster est *divinae sive universalis mentis*, ex qua oritur et in qua extinguitur, *peculum*, et nos sumus *temporales tantum ejus custodes*. — Ultra omnem modum tristis, omniaque spiritualia, i. e. omnia nobilissima et sanctissima ad terram affligens, est tua animi humani doctrina! Sic fortasse lugubrem clamorem edentes vociferabuntur hic cuncti philosophi, qui hodie florent, quique *mentem deum esse censeant et animum hominem*. At, amici, non nostra, sed vestra culpa acriores sensi.

biles, quam intelligibiles oculos habetis! Cernitis enim *cadavera corporis humani* putrecentia et ad communem materiam redeuntia, quia hoc nec pueris quidem est difficile, — et non cernitis *cadavera animi humani*, qui nihil aliud est, nisi, ut jam diximus, corpus inaspettabile, soluta et ad communem mentem reducta! Nonne animus Xenophanis e. c., hujus atavi omnis idealitatis, quae in scientia humana cum toto ingenti lemurum suorum exercitu hucusque superbe regnat, in animo Platonis, Leibnitii, Fichtii, Hegelii et tam multorum hominum aliorum apparuit; nonne animus Heracliti in Aristotelis, Rantii, Herbartii et caeterorum animis resurrexit; nonne omnis philosophia, alia quidem cum modificatione, eadem tamen ipsissima, semper reviviscait? Sed quid? Nec stultitia, nec insania hominum demitur! Utrum putatis, animum Croesi omnibus in mercatoribus et in omnibus, qui in pecunia concupiscenda neque modum noverint, nec terminum capiant, non valere; — aut animum Alexandri magni in omnibus terrarum expugnandarum avidis et in omnibus italicorum lafronum duabus non imperare; — aut denique animum plebis Atticae Aristidem condemnantis in plebe omnium gentium et omnium temporum haud commoveri? Animus quisque est mens, et mens quaeque communis. Alienam cogitata, quae intelligamus, sicut nostra, et nostra, quum intelligentur, aliena. Satis tamen! Qui enim animorum communitatem et universitatem conspicere potest, contentus jam erit dictis, qui nequit, huic nulla demonstratio sufficiet. — Quid est igitur homo ipsissimus, sive quid nostrum Ego, nostra seitas? *Corpus et animus simul!* Quid ita, si neque illud, ut dixisti, nostrum dominium, neque hic nostrum peculium? Favete linguis, jam jam reponitur! — Materia omnis et cuncta, quae *primum positivum* essentiae dei momentum efficit, atque mens omnis et cuncta, quae *secundum negativum* dei

essentiae momentum complectitur<sup>(48)</sup>, sunt omnino universales et communes dei immortalis poli et cuiusque existentiae creatrices. Neutra separatim et tantum sibi extare potest, quia separatim nunquam in rerum natura, etiamsi semper in contemplatione humana, procedunt. Obvias se itaque sibimet ipsis offerunt, se ipsas penitus pertranant, in unum coalesceunt et Idem sunt. Hoc Idem totius divinae materiae et totius divinae mentis est tertium, *limitativum*, quod dicitur, dei essentiae momentum. Primum nunc dei momentum, neque est divinum Ego, nec divina seitas, sed corpus divinum, secundum dei momentum est etiam neque divinum Ego, nec divina seitas, sed animus divinus; tertium vero dei momentum est divinum Ego et divina seitas, nam est absolutum divinae essentiae Totum, quod *aeternitate sua* speciosum et admirationem movens nihil promiscuum cum mundo *semper temporali* gerit. Totum istud summae majestatis, summae copiae et summi roboris in *aeternitate haerens* est deus ipse, tempore vero *profluens* manifestatio dei semper momentanea sive mundus. Elementa mundi ergo sunt divina materia, divina mens et earum unio in tempore quodam, sive, ut ita dicamus, earum *mundificatio*, earum *Rosmomorphosis*. Materia haec mundi est divinum bonum, nam per omnes mundi partes et stationes ad illud absolutum et aeternum sive *universale* Totum, i. e. ad deum pertinet, mundus autem est tantummodo temporale sive *singulare* Totum; mens mundi etiam est divinum bonum, nam etiam *universale* Totum, sive deus eam suam ducit, atque a se tantum possideri vult, mundus est autem *singulare* Totum et nihil Universale suo jure postulare potest. Neque materia igitur, neque mens mundi sunt, si res accurassime inquiritur, mundi bonum, quia mundus utramque a deo accipit. Quid itaque est mundi bonum? *Eius materia et ejus mens simul!* Quid hoc sibi vult? Mundi

bonum est solummodo momentanea unio divinae materiae et divinae mentis, quae ob eam ipsam causam, quod sit momentanea, fit mundana. Haece momentanea unio, in qua, ejusdem momentaneitatis ergo, aequa divina materia ac divina mens momentaneae sive mundanae sunt, et quae in aeternum permanet, quoniam factum dei ipsius est ac semel fuit, — est mundi Ego et seitas. Materia et mens, ideoque etiam ipsa seitas mundi, sunt igitur *impurae* et *pureae*; impurae sunt ut ad deum, et pureae, ut ad mundum pertinentes, videlicet, illae ut mundo *alienae*, et hae, ut eidem *propriae* et *ingenuae*. Mundi seitas maximopere differt a divina seitate, quia illa est *singularis* totius divinae materiae et totius divinae mentis unio, haec autem *universalis*; illa est *temporalis*, haec *aeterna*; haec permanet semper in *efficientia*, illa in *realitate*; haec vivit ut *existentia vivens* continuo et perpetuo, illa tantum semel, et, quum interierit, in *historia sensu ampliori*, quam jam novimus. — Tanquam Totum divinae essentiae tempore fluens, sive Totum ejusdem *singulare* mundus est, sic idem divinae essentiae tempore fluens, attamen non jam singulare, sed *singulum*, et quidem *perfectissime singulum* Totum, est homo. Elementa hominis sunt itaque: divina materia et divina mens, quae in eo corpus et animus dicuntur, in earundem momentanea et *singula* unione, sive in earundem *Anthropomorphosi*. Hic omnia divina sunt humana, sive deus fit homo; et omnia mundana sunt humana, sive mundus fit homo. Hoc modo e communi omnium rerum natura egreditur homo quisque ut perfectissimus flos mundi et verissima effigies dei. Hominis bonum est *momentanea unio divinae materiae et divinae mentis in singulo mundi punto*, quod *singulum Totum efficit*. Quamobrem *unio haec divinae materiae et divinae mentis momentanea et omnino singula*, sive *unio individui et optimi corporis cum individuo et optimo animo in spatio et tem-*

*pore quodam, i. e. unio divinae essentiae momentorum ultima et finalis, ideoque luculentissima,* est nostrum Ego et nostra seitas, quae ab *universalis* seitate dei et a *singulari* seitate mundi *singula sua natura* longissime abest. *Corpus et animus simul* sumus igitur, et non *corpus solum*, nec *animus solus*; sumus individua et omnino singula *relatio* communis nostri corporis et communis nostri animi ad se invicem; sumus innumerabiles et liberi *hymenaei*, quos deus, materiam suam cum mente sua copulans, et mundus, elementa sua conjungens, quos deus, palmam suae manifestationis contingens, et mundus, coronam suae perfectionis consequens, in *singulis punctis spatii et temporis* celebrant! Per unionem communis materiae et communis mentis in singulo mundi puncto et momento, quod sumus, et quod independens, sui juris et *suum* sit, evadimus *singuli dei* et *singuli mundi*, nostri ipsorum consciit et compotes, ab omnibus rebus sejuncti, atque in nobis ipsis siti, evadimus sibinet ipsis constantia et firma Ego, efficaces et deo simillimae seitates. — In deo corpore et animo nostro, si utrumque separatim contempleris, insidemus, et hoc est, quod nos dei filios reddit et perpetuo in gremio parentis nostri tenet, quodque nos deo absolute subiectit. Quoniam essentiam nostram etiam a mundo accipimus, etiam in mundo corpore et animo nostro, si disjungantur, radicamur, ideoque etiam mundi liberi sumus, etiam in gremio mundi sedemus, et etiam a mundo dependemus. Jehova divinus est noster pater, natura est nostra mater, utrique obedientiam, observantiam et amorem debemus. Verum vero sumus etiam *corpus et animus simul*, ergo, qui singuli dei et singuli mundi a deo pariter quam a mundo distinguimur, quique propria voluntate insignes, libertate praediti et a nobis ipsis pendentes omnino *nostri* atque *ipsissimi* et vivimus et valemus. — Caeteroqui seitas nostra est, perinde ac mundi, quod per se liqueat, *impura et pura*.

Impura est, quippe quae communi materia et communimente, ideoque *aliena* substantia constet, — et pura, quippe quae elementa haec aliena sensim sibi approprians *sua* denique conficiat. Quapropter summa est opera danda, maximusque labor suscipiens, ut *seitas purae*, sive ut *nostris et veri ipsi* aliquando siamus. In his terris a seitate impura obsidemur, et quum mortem occumbamus, pura seitas nostra impura seitate, tanquam flos coelestis velamentis suis terrestribus, adaperitur. — Seitas dei quoque, pari modo, ac seitas mundi et hominis, est *pura* et *impura*. Pura est, ut deus ipse in aeternitate sua, sive ut deus *aeternum numen*, et impura, ut deus in tempore, sive, ut deus sua in manifestatione, i. e. ut deus *aeterno profluens phaenomenon*. Etiam impura seitas dei differt ab utraque mundi-seitate, quia prior *aeterno*, et posterior *semper semel* profluens, sunt praesto. — Rem nostram satius arduam, quam modo exposuimus, concludimus hac aurea veritate: *Omnis existentia, omnisque ejus cognitio, neque thesi, neque antithesi, sed semper synthesis vigent et pollent.* *Synthesis omnis et cunctae existentiae universalis est deus, singularis mundus, singula homo.* *Synthesis corporis et animi est nostrum Ego et nostra seitas.*

Praemissis rei nostrae principiis et fundamentis res ipsa succedit. Hodie vivimus quidem, mox tamen nobis est moriendum! Quid est *nosta vita?* Est unio divinae materiae et divinae mentis in quopiam singulo manifestationis dei puneto et momento, qui sumus et quod nostra *impura seitas* dicitur. Quoad vivimus, ipsi aliena substantia indufi, eaque actuosi et mobiles, perpetuo in magna alienae substantiae palude, quae natura nuncupatur, vadamus, atque operoso et molesto labore propriam seitatem liqueare et ab aliena liberare, sive *nos ipsissimos* tandem aliquando, ut ita dicamus,

expugnare et firmo praesidio tenere molimur (<sup>49</sup>). Semper studemus a nobis abjecere aliena, *nostrosque tantum nos esse* (<sup>50</sup>), qui fons agendi nobis est nostrique ingenui et singularis ingenii, quod autem nunquam nobis omnino contingit. — Tum, quid est *mors*? Est finis vitae, qui a nobis omnia aliena repellit, nosque ipsissimos ac merissimos nobis reddit, est summa purificatio et lustratio nostra, est momentum, quo aurum seitatis nostrae igni spectatur. Suprema hac nostra hora universale Totum, sive deus, a nobis sua reposcit, et reddimus ei corpus nostrum et animum nostrum, sive potius reliquias eorundem, quae ad deum et ad mundum pertinent; reddimus ei, quia ejus sunt. Corpus a nobis reliectum dissolvitur et vermis atque herbis pabulum praebet, videlicet in alia corpora converfitur, ideoque communi materiae restituitur. Viximus et continuo corpus hoc mutabatur; mortui sumus et continuo mutatur. *Nostram terram gremio terrae reponimus!* Animus quoque a nobis relictus dissolvitur atque aliis animis viventibus pabulum praebet, videlicet in alios animos convertitur, ideoque communi menti restituitur. Viximus et animus hic continuo mutabatur, i. e. characteres cogitationis suae, voluntatis et actionis, sive systemata evolutionis suae successivae variabat; defuncti sumus et continuo mutatur. *Nostrum coelum coelo comittimus!* Duo essentiae nostrae poli, i. e. corpus et animus, sunt in vita nostra *communes et nostri*, non distinguitur enim eorum natura a communi et nostram tamen naturam efficit; quum igitur fata obimus, *communia reddimus communis substantiae et nostra retinemus*. Qui dum? Numina, quibus constamus, i. e. commune corpus et communis animus, non sunt nostra, sed divina; veniunt a deo, resident in nobis et ad deum revertuntur. Quid igitur sumus debito nostro communi essentiae dei reddito? *Iudem prorsus, etiamsi reliquiae nostrae, i. e. commune corpus*

et communis animus fluctibus profluentibus continuae et universalis metamorphoseos volvuntur, *qui sumus, quam diu anima fruimur, sed omnino lustrati*, i. e. sumus nostrum *Ego merissimum*, nostraque *pura seitas*. *Factum dei nempe singulum*, quod sumus, et quod nos individuos, liberos, nobis ipsis constantes ac firmos facit, quod genitor multorum similium factorum in nobis sit et divina creatoris beatitate laetatur, quod denique non jam ad deum, sed ad nos refertur, — permanet in aeternum idem factum, quippe quod factum sit, et quod factum est, sit sempiternum. Nostrum cadaver, quod dicitur, quod duos aut tres dies post mortem nostram ab amicis nostris superstitibus visitatur, quodque reliquias nostri veteris *communis* corporis ostendit, haud-quaquam nunc est corpus nostrum, quia *ipsi toti*, i. e. cum corpore et animo nostro ingenuo e vita hac emigravimus et *praeteriti* sumus, ergo neque corpore neque animo nostro ad tempus praesens pertinemus. Cadaver nostrum nulla jam est, — aeque ac sputum editum, aut urina ejecta, — essentiae nostrae proprietas, sed *ultimum nostrum excrementum*, quod ex mundanis divi facti mundo relinquimus, quodque mox putrescit et solvetur<sup>(51)</sup>. Animus etiam noster, qui post mortem nostram in animis amicorum nostrorum superstitionis reflectitur, in iisdemque, quasi in suo speculo, fidei characteris sui et proprietatis suae luce, sive specie sua germanissima radiat, quique in libris a nobis editis legitur, atque in nostris cuiuslibet generis operibus cernitur, etc., non est *animus noster ipse*, nam hic emigravit et omni tempori praesenti vale dixit, sed animus noster communis, qui nunc non est noster. Fatali itaque hora nostra *toti*, i. e. cum corpore et animo nostro, videlicet *toti*, tanquam seitas, et *lustrati* i. e. a materia et mente communi liberati et ad nos ipsissimos ac merissimos reducti, videlicet tanquam *purae seitas* praesentis mani-

festationis divinae solum vertimus ac nihil de nobis ipsissimis hic deserimus. *Permanemus igitur in aeternum toti et ipsissimi, qui hodie sumus, et mundus noster solummodo mutabitur, i. e. e theatro praesentis manifestationis dei in theatrum praeteritae manifestationis ejusdem transferemur.*

Manes sunt, ut supra dictum est, *homines reales*. Quamdiu in his terris vivimus, certum igitur esto, inter nos et illos neque cogitata, nec verba, nec facta commutari, nullamque vim mutuam et rationem reciprocam haberi posse; nam nos sumus et nostrae terrae sunt *efficaces*, illi autem et illorum terrae reales, efficiencia vero sic ad realitatem, ut tempus praesens ad praeteritum, resertur. Vis mutua inter homines et ratio reciproca solummodo praesenti tempore valent. Qui vivunt, — cogitant, loquuntur et agunt, morte vero oppressi, qui non amplius in successione temporis, sed in absoluta aeternitatis stagnatione permanent, quondam quidem cogitabant, nunc autem cogitatione vacant, quondam loquebantur, nunc silent, quondam agebant, nunc quiescent; vivi igitur et mortui nullo inter se commercio, si phantasiae aegrotantis spectra excipias, laetari possunt. Ob eandem causam neque noster pater, qui in mediis vitae laboribus obdormivit, nec noster amicus, nec nostra amica, neque Christus ipse, vir sanctus, summo honore a nobis cultus atque ut deus immortalis veneratus, et tanto minus ejus apostoli, sancti et sanctae etc. etc., si leto delectantur, nobis delectari, atque ad nos, visendi, salutandi, consolandi et adjuvandi gratia, venire queunt. Ut nullo pacto hora fugiens, qua nos gaudemus, in quamquam ante multos annos in semipiternitate sepultam horam converti, sic etiam nulla ante multos annos peracta et oblita hora, nunc, dum haec legimus, iterum fluens effici potest. *Itaque vivi vivunt*

*cum vivis et mortui cum mortuis, sive praesentes cum praesentibus et praeteriti cum praeteritis.*

*Elysei campi*, ubi sempiternae vitae participes divina felicitate beantur, sunt *regiones perfectae realitatis*. Campi hi summum silentium tenentes et solitudine tacitorum cogitatorum aeterna tranquilli, multo majori amplitudine patent, quam *florentes efficientiae agri*, et nunquam impediuntur, quominus perpetuo novos homines vitae fines linquentes libertissime excipiunt, quia momento quoque temporis extincto fiunt latiores. Recentes mortui semper propter vicinissimum, intra efficientiae et realitatis regiones, terminum considunt; mox autem cum hocce a profluenti efficientia discedente termino ab eadem sensim se subducunt, atque eo modo sensim profundius in interiores aeternae suae patriae partes se insinuant. Qui hodie moritur, unoquoque die et unoquoque anno interiora realitatis adit. Quae modo a nobis celebrantur, sunt nostrae *illae terrae*, quae gloria sui nominis orbem harum terrarum implet, sunt noster *meliор mundus*, qui dicitur. Manes vivunt hic petracam quidem, sive immutabilem ac nunquam se mouentem, candemque tamen ipsissimam vitam, quam viventes vixerunt. Amant hie quoque eos, ut intellecta immortalitatis nostrae natura dici potest, et iis succensent, quos olim amaverunt et odio habuerunt, eandem mercaturam faciunt, in iisdem negotiis versantur, eosdem libros scribunt, eadem bella gerunt, eadem pacta converta accipiunt, etc. etc., quia non ipsi solum, verum etiam eorum tempora et facta praeterierunt, ergo in aeternum obriguerunt. Socrates est e. c. semper suo tempore, sive in ea provincia realitatis, quam incolit, sapientissimus hominum, docet iisdem Athenis, ut olim, et idem exhaerit mortis poculum; Miltiades exerceat semper eandem, sua militum decem millia ducens, ad Marathonem praeclarissimam victoriam; Alexander magnus semper

eadem imperii sui proferendi cupidine flagrans totam fere Asiam expugnat et Babylone effeminatur. Romani semper eundem orbem terrarum subigunt et ad postremum ense et igni a barbaris absumuntur etc. etc., nam quod semel fuit, semper manet, quodque semel cecidit, in aeternum cadit. Vita sempiterna est compendium vitae temporalis perseverans, sive potius vita temporalis ipsa, quae in infinitum extenditur, obstupescit et nunquam deletur. Vita haec, quae magnopere a memoria mortuorum in vivis persistenti, sive ab historia vulgari differt, est magnum imperium Plutonis, cuius sceptrum: *aerea necessitas*, cuius gubernationis systema: *pervicacia invicta*, et cuius senatus consulta: *semper Idem*, appellantur. « *Nihil hic oblivioni datur!* » Inscriptio haec nigris literis ac re, quam dicit, horribilis illius imperii saxa finibus posita ornat. « *Qui semel se in haec loca infert, semper hic manebit!* » sunt verba, quibus recentes mortui ab antea mortuis salutantur.

Dies mortis est noster *dies novissimus*. Nuperrime mortui enim a deo, repente se generi humano inferenti, suminatim judicantur, eorum facta sine passione et affectu cum insolita patris liberos suos amantis liberalitate et cum ignota his in terris justitia aestimantur, eorum virtutes sine invidia extolluntur, et eorum scelera sine formidine reprehenduntur. Genus humanum, quod nunc *universalem hominem*, sive *deum hominem*, vel, ut ecclesia nostra credit, *Christum* efficit, singulos homines morientes dijudicare decet; — vox populi est hic revera vox dei. Summa haec juris dicendi cura recte *judicium dei*, aut quoque *judicium novissimum* dicitur. Verum sententia haec nostra non perperam sit mente comprehendenda. Deus homo nempe aeternum hostem in diabolo homine habet, qui idem lingua nostra loquitur, et partim judicia dei pervertit, depravat ac corrumpit, par-

timque sua pro divinis offert. At diabolus nunquam deum, sed tantummodo hominem in errorem inducere potest. Sunt enim improbi homines et cum diabolo foederati, qui virum probum, honestum, sanctum atque omni virtute ornatum, quum mortuus sit et pro sese propugnare nequeat, tanquam scelestum verberonem per belle expediant et memoriae humanae prodant; sed sunt quoque probi viri et deo obnoxii, qui contra diabolum perpetuo luctentur, cogitata ejus secreta patefaciant, insidiias ejus reuelent ac demum clarissimam ex eo victoriam referant. De reliquo, si homo nuperrime mortuus nullos testes justos probitatis suae relinquat, et diabolus existimationi ejus obtrectet, et diaboli judicium fiat vox populi, et vox populi perennis nostra historia; tum etiam homines tantum decipiuntur, deus pater autem noscit filii sui, non recte cogniti, virtutem et deus homo eandem noscit, quia hic quoque frater, qui virtutis suae conscientius fuerat, ad ejus universam manifestationem et conscientiam sui pertinet; — ac demum, qui bonus semel fuit, manet bonus in aeternum, quamvis a toto genere humano malus putetur. Historia nostra non est *historia vera!* Judicium dei, licet per homines fiat, distingendum est tamen a judicio diaboli, sive a judicio hominum. Illud et hoc possunt, aequae in toto genere humano resonare, suam a nullo homine desiderare vocem. — Si judicium a novissimum diutius a deo homine exerceatur, et si etiamnum decretum dubitatione aestuet, videlicet si non certum sit, utrum virtutes an scelera hominis defuneti majorem vim habeant; idem immoratur in incertis crepusculi ejusdam terris, sive in regione ubi lux beatitatis cum tenebris erebeis certat. Hic defunctorum status a christiana ecclesia romana *ignis maculas in mortuis residuas exurens*, sive *purgatorium nuncupatur*. Nullo Ave Maria, nullaque messa lecta defuneti igne purgatorio liberantur, sed quum eorum virtutes et bene merita publicen-

tur. Inde autem non colligitur, defunctos tam diu in purgatorio se sustinere, donec ab hominibus sint dijudicati, quia quotus quisque illie in aeternum se sustinuerit, si homines recte aut male facta ejus nunquam explorare, eumque nunquam absolvere possint. Agant forum homines in omne tempus; sufficit, si deus momentum rei faciat! — Pronuntiato demum dei hominis decreto obediunt mortui, purgatorium relinquunt et recipiunt se, pro facinoribus suis bonis aut malis, *in coelos* aut *in inferos*. Coeli sunt aeternae beatitatis status. Hic vivunt e. c. Socrates, Aristides, Galileus, Hussius, Martinus Lutherus, atque omnes excellentes viri, qui ab *hominibus*, sive a diaboli amicis, incomperi et crudeliter aut aspere tractati, *a deo* autem, qui eos pleno et totius generis humani ore dijudicat, justitia et summo honore perfunduntur. Coelicolae appellantur vulgo *Saneti*. Inferi sunt aeternae condemnationis status. In iis vivunt e. c. Nero, Caligula, conditores sanctae inquisitionis, quae etiam Autodafe dicitur, reformatores illi, qui primi doctrina christiana Americanos ex ignorantiae et superstitionis tenebris ad *lucem sempiternam* brevissima via perducabant, omnes sui tantum commodi, sui lucri et suarum rerum studiosi, atque omnes abominationi, qui semel diris devoti semper exsecrantur. Inferorum nobilissimi et illustrissimi cives appellantur vulgo *Condemnati*. Nec praeter nos, multos homines hodie etiam esse, qui dicant, Socratem e. c. et Hussium justificuisse morte muletatos, qui contra sui temporis res divinas docuissent; conditores sanctae inquisitionis non esse condemnatos, qui ecclesiam christianam contra contemtores et inimicos ejusdem auctoritatis divinae tutam prae-stare niterentur; etiam Neronem in inferis non versari, sed tantummodo a Christianis falsa criminazione esse rosum, qui suum deorum cultum protegens et defendens eos justissime igni et ense persequeretur etc. etc. Enim

vero ejusmodi, non veritatis, sed mendacii observantissimi cultores, non cum deo, sed cum diabolo comitia consularia, et sua tribunalia gerere solent. — Neque coeli, neque inferi in solem (<sup>52</sup>), in lunam, in hoc aut aliud sidus, in alios planetas, aut aliorum, ut fabulatur, transferendi sint oportet; in his terris enim, in his locis ipsis, in quibus vivimus, inveniuntur, sunt tamen, si mortuos potissimum respiicas, non in praesenti, sed in praeterito tempore quaerendi. Qui nunquam, quoad vixit, in coelis fuit, ne mortuus quidem viam ad coelos comperiet, et qui nunquam, dum vita suppetebat, inferos visitavit, mortuus etiam inferos non videbit. Amor virtutis est angelus domini, qui nos ad coelos, et amor vitii diabolus, qui nos ad inferos dicit. Conscientia nostri est divinum speculum, in quod insipientes nostram vitam aeternam, i. e. nostros coelos, aut nostros inferos contueri possumus. Coeli et inferi, in quibus pro meritis nostris in aeternum versabimur, sunt denique *sempiterna remuneratio*. Quid verius, excelsius, aut pulchriorius, quid Christianismo ita respondens et ita dilucidum, et quid humano generi jucundius et dulcior inveniri potest, si ea, quae exponimus, sint falsa, infesta et amara?

Qui in tuta et sempiterna realitatis otia recesserunt, sunt numina, sunt deo ipsi consimiles, sive potius sunt *divino habitu ornati* (<sup>53</sup>). Habent enim corpus et animum pariter, ac nos, qui nunc luce solis exhilaramur. Corpus eorum tamen differt a nostro, nam est indeleibile et immortale, quod neque sudore madet, nec dolore afficitur, nec e suis vulneribus neglectis, ut olim, male olet, nec foedis ulceribus, quibus laboraverat, fastidium affert, etc. etc., neque a nobis tangi potest, nec nostris oculis patet, etc. etc., et, ecce vero, idem est, quod fuerat! An in camera obscura, quae dicitur, ima-

gines rerum vidisti? Sic fideli et sic formosa corporis viventis effigie corpus mortuorum lucet! Camerae obscurae manifestatio dei praeterita cum realitatis suae terris et historia sua vera admodum est similis. — Animus defunctorum differt quoque a nostro, nam est simpliciter stabilis et absolute immutabilis, qui neque nimia laetitia insipiat, nec gravi moerore turbetur, nec studio rerum existentiae occupetur, nec sententias suas variet, nec novam sapientiam amplectatur, neque cognitionis scientiae amore incendatur, etc etc. et tamen idem est, qui fuerat. Nonne tibi philosophi stoici, qui stabilitatem et immutabilitatem animi praecipiunt, sunt noti? Eorum doctrina, his in terris tantum *possibilis*, regnat ut *adsertoria* (<sup>46</sup>) in realitatis solo, et omnium defunctorum animi sunt stabilitate et immutabilitate sua perfectissimi Stoici! (<sup>54</sup>) — Defunctorum hoc indeleibile et immortale *corpus*, atque hic stabilis et immutabilis *animus simul*, est defunctorum merissimum. Ego et pura seitas, sive habitus divinus, i. e. ut vulgo dicitur, *beatificatio*, *sanctificatio* vel *Apotheosis*. Etiam beatificati sunt *corpus* et *animus simul*, sunt homines, qui fuerunt, sed homines *divi facti*. Ut Christus, tanquam *animus merus*, nec pingitur, nec colitur, nec cogitatur; ut Caesar, qui Hegelianae idea nihil fuit, sed homo, tanquam homo quoque in historia viget et imaginatione nostra complectitur; ut parentes nostri, quos neveramus, et qui hodie suam mortalitatem explevere, non quasi conceptus logici, sed velut personae, quae fuerant, eadem figura, eodem vultu, eadem voce etc. etc. nostrae memoriae inhaerent; sic etiam omnes manes non animi sunt, sed verissimi homines. Philosophi, sive potius Metaphysici, qui praecipiunt, animum ad se advocemus, secum esse cogamus, maximeque a corpore abducamus oportere, si animum animo comprehendens tenere, atque im-

mortalitatem ejus animo complecti velimus, nugas doctas nobis blaterant. Animi enim corporis expertes sunt tantum nostra cogitationis abstractae mostella (<sup>55</sup>). Nec animi, sed homines ipsi sunt in *efficientia* (<sup>45</sup>), ideo quoque in realitate. Manes sunt pari modo homines, quam amici nostri, qui a nobis remoti longinquissimis in terris vivunt, et in eorum divino habitu, beatificatione et apotheosi imaginibus exaequantur Apellis penicillo pietis. — Apotheosis nostra est denique *resurrectionis* nostra, quam nobis doctrina christiana ecclesiae pollicetur. Sumus enim momentanei et sumus semper terti homines; vivimus in terris mortis et vivemus in terris, ubi mors fracta est et nihil pollet. Qui semel hic obiit, nunquam illie, ubi obitus barbara vox, incredibilis et vetusta fabula est, obire potest, vivit itaque semper tenuis. Hora igitur mortis nostrae est novae et semper tenuis vitae sive *resurrectionis* nostrae hora, et resurgimus cum carne et mente nostra, ita prorsus, ut re vera sumus et ut nobis est promissum.

Hodierno die, qui in coetum eorum, qui jam vita excesserunt, ingrediuntur, aequi manes sunt, ac qui ante plures annos diem supremum obierunt; utrique pertinent ad easdem peractae existentiae regiones, utrique sunt homines reales et praeteriti. Omnes igitur maximis vinculis sanguinis et propinquitatis sibi conjuncti, qui diverso tempore ex hac vita et ex his terris profecti, tandem in una eademque *vita illa*, ubi differentiae temporum tolluntur, et in unis iisdemque *terris illis*, quae non amplius spatio continentur, concurrunt, possunt mutuo sibi reddi, nam reapse hora mortis ipsa mutuo sibi redundunt. Itaque nostros quandam amicissimos, quos nobis amara fata eripuerunt, *revisemus*, quam iisdem cedemus fatis! Licitum est tamen nobis, quum vitae aeternae participes facti sumus, solummodo eos revisere, qui nobis hic familiari amicitia conjuncti fuerant,

nam novae necessitudines illis in terris neque à nobis optantur, neque iniri possunt. Quos homines, e. e. Socratem, Platonem et caeteros, qui ante multa saecula diem suum obiissent, hic [nunquam] vidimus, ne illic quidem videbimus; quos amicos hic non habuimus, illie quoque non habebimus. Quid, nonne vita sempiterna haec vita ipsa sit in aeternum extensa? — Mortui possident *conscientiam sui*, nam haec quoque factum certum est apud vivos, factum certum ideo apud mortuos manet. Conscientia sui est tamen in vivis *efficax*, in mortuis *realis*. Praeterea omni tempore praesenti totum praeteritum tempus sui conscientium efficitur; conscientia sui realis itaque, quam mortui possident, continuo in vivis ut conscientia sui efficax, videlicet continuo in vivis talis resurgit, qualis quondam fuit. Plato e. c. sentit se, quum opera ejus, quae scripsit, legimus in *nobis* omnino eodem modo, quo olim vivens et scribens *in se ipso* se senserat, et cogitat nunc, quae olim cogitaverat, et excelsa idearum suarum regione laetatur; Caesar nunc quoque per nos sui conscientius exclamat: «Et tu, Brute, contra me!» — Adeo neque illud, *a nobis amicos nostros post mortem revideri posse*, neque hoc, *nos post mortem conscientios nostri remanere*, est sacerdotum mendacium fabula, sed veritas ipsa, quae a philosophia sancitur.

Doctrina igitur, quam de vita hominis aeterna oratione nostra complexi sumus, omnibus antiquis et novis de hac re doctrinis palmam aufert, nam inter omnes excellentia sua et dignitate praestat. Si enim *Pantheismus*, — qui aliis nominibus Materialismus, Realismus, Empirismus etc. etc. nuncupatur, qui naturam tanquam deum adorat, et tantummodo rebus sub sensu nostro cadentibus veram existentiam concedit, quique continuum materiae alias in species transitum observat, — nullam potest aliam hominis immortalitatem comprobare,

nisi sempiternam corporis nostri per omnes naturae creaturas migrationem, sive *Metempsychosin*; si *Monotheismus* vicissim, — qui etiam Spiritualismus, Idealismus, Speculatio, etc. etc. appellatur, qui ex sua mente qua tali deum facit, et tantummodo notionibus, ideis et cogitationibus veram existentiam tribuit, quique continuatam, semper vigentiorem ac perennem cognitionis motionem deprehendit, et cum Hegelio magistro suo excellenti confitetur, *menti unicae ac soli metamorphosin obvenire*”<sup>(55)</sup>, — nullam aliam potest hominis immortalitatem docere, nisi, si sibi constet, animi nostri continuatam, semper vigentiorem et perennem migrationem, sive *Palingenesin*; si igitur Pantheismus et Monotheismus successionis, vel materialis vel spiritualis, notione et conscientia rapti, ideoque tantum ad tempus praesens vitam omnem referentes et in continua migratione, vel corporis vel animi, sempiternitatem vitae carentes, *personam* hominis et *seitatem* post mortem nostram occidunt, nulloque modo eam ad vitam revocare possunt; — doctrina nunc nostra *personam et seitatem firmissime tenet*, nec usquam se in hoc discrimen adducit, ut eam e manibus suis emittat. — At vero *Orthodoxia* quoque personam et seitatem hominis custodit, immortalitatemque individuam contra ejusdem vituperatores protegit! Quid autem est haec *Orthodoxia*? Nihil aliud, nisi Monotheismus sibi repugnans, Moseismus depravatus, vel Christianismus parum perspectus atque hebraica sapientia aeger! Qui nobis istaec sententia incidit? *Docet enim, deum esse nullum alium, nisi mentem puram, sanctam et aeternam.* Atqui natura mentis hujus est, quod Monotheismus recte percipit, absoluta monas. Ergo deus etiam est absoluta monas, sive absolute et simpliciter unus. Haec instituit Moses regulam suam idealem constantissime servans. Et quid *Orthodoxia*? Haudquaquam tali constantia abundat!

**P**lena Moseismi et Christianismo obnoxia constituit, deum esse unum et triunum, sive, ut dicit, unum in tribus personis, — ergo *absolutam monadem esse triadem*, quod perspicue sibimet ipsi et excellenter quidem repugnat. Qua ratione igitur dogma hoc suum defendit? *Mentem subjectivam*, inquit, si philosophatur, i. e. mentem, quae cogitat, sive absolutam cogitationem esse deum patrem; *mentem objectivam* vero, i. e. mentem, de qua prior cogitat, sive absolutum cogitatum, esse deum filium; *mentem denique subject-objectivam*, vel, quod melius est, etiamsi adhuc non usitatum, *conjectivam*, i. e. illam cogitationem et illud cogitatum simul, quae *idea* appellatur, esse deum spiritum. Verum *mens et cogitans et cogitata*, et *cogitans-cogitata* est semper eadem mens et nihil aliud ac mens, videlicet semper eadem monas, ergo nullo pacto trias! Quae est itaque trinitas christiana? *Materia absoluta*, quae pluritatem absolutam comprehendit, *mens absoluta*, quae unitatem absolutam continet, et *manifestatio absoluta*, quae illam pluralitatem cum illa unitate copulatam et in specie naturae procedentem complectitur, sive pater, spiritus et filius, quae tria momenta sunt unius ejusdemque cunctae et aeternae existentiae, i. e. dei. Idecirco res luce clarior est, ab Orthodoxyia Moseismum et Christianismum inter se sordide confundi, ipsamque nihil aliud esse, nisi Monotheismum inconstantia sua abhorrentem. Evaditne Orthodoxyia fortasse in suo immortalitatis humanae dogmate felicior? Neutquam! Docet nempe simul cum Monotheismo, non hominem ipsum, sed tantummodo *animum hominis esse sempiternum*. Sempiternitas haec reete in Monotheismo continua animi migratione et perfectione nititur, quia animus est mens, et mens *cogitatio*, mens porro est aeterna et *cogitatio* semper progrediens; ergo animus quisque progreditur in aeternum. Christianismus autem personam et seitatem hominis di-

ligenter tuetur, et Orthodoxia est ejusdem simia. Quid facit igitur? *Animum*, dicit, *non solum esse sempiternum, sed etiam tanquam personam et seitatem sempiternum*. Hic tantum ejus rei mentio est facienda, quod Christianismus resurrectionem carnis nobis spondet, ergo omnino aliam immortalitatem, ac solummodo animi, eamque non aliter intelligit, nisi ita, ut nos in doctrina nostra aperuimus, — et absurditas Orthodoxiae plenis luminibus aspicietur! Quomodo itaque rem suam demonstrat? Illo modo, quo in dialogo ante nostras de immortalitate sententias provolanti Flavius delectatur; dicit enim, quae comprobare nequit. Et laudetur talis ejus rei exitus, quia secum pugnantia nunquam comprobari possunt. Sed jam satis de Orthodoxiae sanctis erroribus! Quid plura, si hic semper eadem vel perridicula stat sententia? *Persona et seitas* igitur, neque in Pantheismo, neque in Monotheismo, neque in Orthodoxia, — et quia omnia sapientiae humanae genera, quae hucusque floruerint, his tribus celeberrimis et principibus efflunt, — in nulla philosophia tam firmis praesidiis muniuntur, quam in nostra. — Etiam aliis rebus praestant inter caeteras nostrae de vita hominis aeterna sententiae. Mysticismi e. c. tecta atque occulta, rationique humanae horrida et atrocia retundimus arcana, unamque gravissimarum quaestionum ita solvimus, ut quilibet homo sine insipendi periculo nos legere et intelligere possit. Praeterea *totum hominem*, et non solum animum ejus, ut more usitato sit, immortalitate ornamus; tempus praeteritum et futurum cum praesenti reconciliamus, eidemque omnino aequiparamus, jugulatae igitur ab hodierna philosophia aeternitati vitam pristinam reddimus, ideoque vivi dei imperium in infinitum vitae pandimus. Caetera lector ipse jam videbit. Ad extremum sic velimus idem lector sibi persuadeat, nos nequaquam, ceu nimios nostri admiratores, quod sane

dedeet, magna hic de nobis praedicare, sed tantummodo de magna rei nostrae difficultate, quae non omnibus pervulgata ac trita ante oculos jacet, et de periculo nostro, veluti intra Seyllam et Charybdin, cursu commemorasse.

« Aeterna tamen vita, quam superbe jactas, — conclamabunt hic haud dubie multi rei nostrae oppugnatores, — si subtilius quaeramus, nulla est vita! Quid, utrum status ille vita appellari potest, si cunctus ac totus obrigescam atque absoluta pace, aeternoque otio torpeam; si petrae obtutum oculorum effugienti, aut colli chimaerifero similis, neque me movere, nec sentire, nec desiderare, nec cogitare, neque existentia mea laetari queam; si nulla ratione, ut nunc, dum vita haec tenet, mihi conscius meique compos sim? Quod *fuit*, *manet* quidem, sed non *est*; qui obiit, *vixit* quidem, sed non *vivit*. Eece tua doctrina! Immortalitas igitur, quam nobis obtrudere velis, speciem tantum immortalitatis fundit, reapse autem nulla est immortalitas; — mulieres et pueros tantum dolis tuis ludere poteris, at virorum expectationem, qui te perspiciant, ita destituis, ut eos pudeat, quod hucusque libellum tuum cum patientia legerunt!» Ad praesens ferimus hoc responsum. Desideratis itaque, ut illis in terris prorsus eo modo, quo in his, in diem et in horam, fortunate, magnifice et luxuriose vivatur? Vultis fortasse etiam post mortem dapibus pretiosis expleti in vino et alea ridere, vultis, quod Mahometus musulmanis suis pollicetur, in gynaeceo paradisiaco, — ubi adeo formosae puellae sunt, ut, si una earum his in terris apparuisset, solem venustatis suae splendore officaret, atque adeo jucundae, ut, si una earum in oceanum nostrum sputum injecisset, omnes terrae aquas *melleas* faceret (<sup>57</sup>), — bonis hujus mundi omnibus et exquisitissimis heluari? Vita ejusmodi tamen foret *temporalis*, non *aeterna*, voluptatum enim

fructus in tempore duntaxat, et non in aeternitate, est possibilis. Hic viventes edere et bibere, sentire, cupere et cogitare possunt, quia omnes haec actiones sunt temporis fugax suboles et in tempore tantum cogitabiles; illuc autem viventes nihil ejusmodi agunt, quia vita aeterna omni tempore, ergo omni quoque actione carens est absoluta quies. Qui hic vivit, aliquando natus est et aliquando mortalitate intercepitur; qui illuc vivit, nec natus est, nec naturae satisfaciet. Si igitur vita aeterna huic vitae par fuisset, nascendum et moriendum mortuis quoque foret, ergo vita mortuorum non esset aeterna, sed temporalis, ideoque non alia, nisi fortasse emigratio in solem, lunam, etc. etc., aut, si fabulas contemnas, non alia, nisi metempsychosis, quam nullus homo hujus saeculi et nemo christianus laudabit. Viri ergo estis, et tam magnum inter vitam temporalem atque aeternam discrimen mente arripere nequitis? Viri estis, et de *vita aeterna* loquentes semper *vitam temporalem* cogitatis? Primum ingenii vestri contradicitiones tollite, tum de nobis et nostra doctrina sententiam fert! Caeterum Christus, qui docet, in coelo neque amores commoveri, nec matrimonia contrahi, nec inimicitias exerceri etc. etc., unum et idem nobiscum sentit. — «At Christus docet etiam, inquiunt hic iterum oppugnatores nostri: *In coelo angelis domini similes eritis et deum patrem vestrum contuebimini!* Docet igitur, nos in vita aeterna ad summam perfectionem per venturos, atque ipsam cognitionem dei assecuturos fore, adeo nos sensu et cogitatione gavisuros. Tu autem pridem dixisti, *morte opresso cogitatione vacare, novam sapientiam non amplecti, cognitionis et scientiae amore non incendi* etc. etc., ergo omni sensu orbari, nihil cupere, nihil agere, — idque nunc etiam repetis. Semper quidem eadem chorda aberras, candemque cantilenam canis; at doctrina tua, etiamsi vera esset, tamen

non est christiana! — Quid est igitur, reponimus et interrogamus, excelsius, *vera doctrina, an christiana?* Veritatis diligentiores et fideliores sumus cultores, quam christianismi, atque hic palam confiteri audemus, christianismum a nobis confessim, ut commentum quodque diaboli, in inferos amandandum fore, si quando persuasum nobis sit, cum veritatis impium et sordidum esse hostem! Hodie autem veritas et christianismus unum atque idem est nobis, et si veritatem veneramur, veneramur christianismum. Vos autem, Christi amici, ignavos esse putamus, qui magistrum divum vestrum non intelligatis. Post mortem nostram *angelis domini similes erimus*, qui homines reales facti, divino habitu splendidi, et tanquam *virtutes*, tanquam dñi antiquitatis graecae et romanae, non in tempore, sed in aeternitate viventes, revera ab angelis nihil distinguamur. *Deum patrem nostrum in coelo contuebimur.* Ita sane! Hic enim viventes mundum tantummodo contuemur, et si deum contueri cupimus, nos, quod pluribus aequa ac yobis est admodum arduum, imaginatione nostra omne tempus a nobis repellere atque in aeternitatem emigrare oportet; illic autem viventes, non imaginatione solum nostra, sed revera in aeternitate vivemus, deum igitur contuebimur. Quaenam vero ex hac tam simplici Christi sententia argumenta concluditis! Ad *summan* quidem *perfectionem* in vita aeterna perveniemus, sed non ita, ut yobis videtur. Perfecti enim erimus, quia praeteribimus, videlicet non amplius illuc infantia, pueritia, juventute, virili et senili aetate, multisque annis a die nostra natali usque ad diem fatalem distracti, neque continua existentiae nostrae dissipatione aegrotantes, sed *omnino summales ac toti*, nec, ut his in terris, semper unum momentum vitae, sed *universam vitam nostram degentes, suo unusquisque modo perfectissimus*, evademus. Semper hic imperfecti, erimus

illie semper perfecti. Attamen perfectio haec in nullo cogitationis nostrae aut sensus nostri progressu, nam hic ad tempus pertinet, sed in *summario vitae nostrae* re-sidebit. Sapiens, qui nunc vivit, si moritur, non fit sapientior, nec bonus melior, sed *summam idem sapiens et bonus*; stultus quoque nec stultior nec sapientior, et malus nec pejor nec melior erunt, sed *idem*, qui nunc sunt, quamvis in stultitiae et malitia sua summa viventes. Si vita aeterna finis noster est, quem mortui adipiscamur, et si in eadem vita, ut desideratis, aequo sapiens ac stultus ipsam cognitionem dei, ideoque summam sapientiam assequatur; — quisnam hic inaniter laborare, inaniter dies noctesque ad libros suos jacens vigilare, quis inaniter tristi et parum obsequiosae Minervae, quae nos continuo a genibus suis repellit, servire vellet? Si aequo bonus ac malus deum illic, vestro verbi sensu, contueatur, ideoque summa beatitudine fruatur, quisnam hic arduam virtutem adamare possit, aut, quaenam sint justitia dei et futura remuneratio? «Omnibus, Paulus inquit Apostolus, una salus sanctis, sed gloria dispar!» Omnes mortui *eadem vita reali* salvi erimus. Quam sapientiam autem dignitatem et beatitudinem, quibus a caeteris distinguamur, nobis hic colligimus, eandem, et cum eodem a caeteris discrimine, nullas triumphantis hostis proscriptiones timentes, servabimus in aeternum, idque est summum virtutis nostrae praemium, quo nihil melius et solatii abundius ex cogitari potest. Eadem itaque inter homines differentiae perseverant in aeternitate, quae sunt in tempore, atque omnia manent eadem, etiam si *perfecta*; et verba Christi sunt vera, et nostra doctrina libera eorundem, i. e. non ab iisdem, sed a se ipsa pendens, interpretatio. — «O terque tamen, quaterque fastidiosam ac nefastam immortalitatem, quam instituas!» Ita exclamantes disceptant rursus oppugnatores. «Immortalitas, quae immobili, silente, maesta et semper eadem, sive,

ut ipse dicis, quae *petraea existentia* constet, ita est  
 omni solatio et omni spe destituta, ut multo libentius  
 eidem applaudere et credere velimus, qui historicam  
 immortalitatem, aut metempsychosin, aut palingenesin  
 promulget, quam tibi! **H**istorica immortalitas promittit  
 nobis minimum vitam in hominum memoria, sive peren-  
 nem gloriam ac laudem, si recte agimus, et celebres  
 sumus; metempsychosis promittit nobis materialem mi-  
 grationem, igitur minimum laetitias corporis; palinge-  
 nesis denique promittit nobis migrationem et continuam  
 perfectionem animi, igitur minimum ingenii voluptates;  
 at tu, quid promittis? Aeternam coemetarii quietem,  
 sempiternum sine visis somnum, *existentiam nostrae inexistentiae!* Vita in hominum memoria, laetitiae cor-  
 poris ac voluptates animi sunt aliquid, at tua existentia inexistentiae, ne nubilum quidem, sed serenissimum  
 est nihil! « — Desperandum est revera, crimen nostrum  
 diluentes respondemus, si cum illis de *vita aeterna* dis-  
 seritur, qui *temporalitati*, nec quidem in imaginatione  
 sua, vale dicere possunt! Vérum patientia, temporalitatis sacerdotes, nos *etiam* deam vestram venerantes mox  
 videbitis! **I**mmortalitas historicia, metempsychosis et pa-  
 lingenesis aeternitatem omnino emittunt, et tempus vo-  
 lans tantummodo spectant; nostra autem doctrina utrum-  
 que diligenter custodit. Aeternitas est fundamentum  
 quidem, est cardinale solum nostrae immortalitatis; nec  
 tamen auferimus immortalitatem, quae cum tempore vo-  
 let. Non enim duntaxat immortalitatem habebis, quam  
 doceamus, et immortalitate historicia gaudere potes, si  
 vir praeclarus fias; et metempsychosi laetaberis, nam  
 corpus tuum a te relictum manet in natura, ac cum tem-  
 pore migrans semper vivet; et palingensi delectaberis,  
 nam animus tuus a te relietus in mente communi per-  
 severans et cum tempore amplior factus se perficiet.  
 Nonne meministi ejus differentiae, quam inter *puram* et  
*impuram* scitatem nostram statuimus; oblitusne es, cor-

*pus nostrum commune cum materia communi, atque animum nostrum communem cum communi mente in aeternum migrare et praesenti tempore semper florere, corpus vero nostrum singulare et merum atque animum nostrum ipsissimum simul, sive seitatem puram in aeternum nostram, individuam, propriam et ingenuam remanere? Ergo ob eam rem ipsam, quod omni genere sententiarum in re nostra eruditio politeia simus, quod immortalitas nostra omnigena sit, atque omnes immortalitatis species complectatur, nos accurate intelligere nequis? Immortalitas historica, inquis, promittit tibi vitam in hominum memoria, metempsychosis laetitias corporis, et palingenesis voluptates ingenii; nos autem promittimus tibi haec omnia, insuper etiam, quod sanctissimum est, vitam tuae seitatis aeternam, et tu nunquam contentus immortalitatem nostram exsecraris! Rectene igitur scis, quid postules? — « Scimus quidem et recte! dicunt demique oppugnatores. Quamquam te refutare nequimus, sentimus tamen, omnem tuam vitam aeternam nullam esse vitam veram, atque adeo esse exprem, ut, si vera fuissent, quae doces, nihil reliqui nobis esset, nisi, si felices simus, omnibus voluptatibus nos offerre et vita frui, sin infelices, vitae huic et illi deprecari, et mortem nobis consciscere! » — Non nostra culpa est, concludimus, vos tantum *sentire* et non *cogitare*. Vita haec certe sensibus, at illa solum cogitationi patet. Quid est, quod vos in nostra immortalitate adeo offendit? Haud scitis, quid sit e sensuum regione egredi et in spheras cogitationis liberas evolare; ignoratis, vitam hanc esse tantum imaginem illius vitae; fugit vos, imagines rerum et res ipsas in cogitatione et coram veritatis tribunali unum atque idem valere; non calletis aeternitatem, quae, si tenebras abducit, vita haec fit, et non intelligitis hanc vitam, quae, si illecescit, in aeternitatem transfertur! Nonne igitur sufficiunt, quae tam late et tam dilucide de ratione aeterni-*

tatis ad tempus et vice versa jam olim protulimus? Quid igitur vobis sufficiet? Exspes estis, quod immortalitatis imaginem, quam hucusque habuistis, cum vera ejusdem cognitione commutatis! O, amiei, veritas est tantummodo stultis periculosus gladius! (14). Finem imponite inexpiabili ingenii vestri infantiae, ac semel procedite, etiam vestra cogitatione, viri, et perspicuum vobis erit, veritatem multo beatiores nos reddere, quam omnia puleherrima et dulcissima spiritualis immaturitatis somnia.

Christus intellexit quaestionem, quae nos hucusque tenuerat, multo rectius, ac perrupit eam multo facilius, quam omnes antiqui, novi et novissimi philosophiae cultores. Ille enim pollicetur nobis *vitam aeternam*, hi autem solummodo *immortalitatem animi*; ille igitur, qui praeterea *resurrectionem carnis* nobis spondet, docet, nos cum corpore et animo, sive nos, tanquam homines, qui revera sumus, vel tanquam seitas vita aeterna potituros fore; hi autem persuadere nobis volunt, animos tantum per se vivos esse et non interire. Quid vero hi animi per se viventes et non intereuntes, hi dii manes omni corpore laxati, sint, supra diximus et nunc repetimus: nihil aliud, ac humanae cogitationis forma, quae reapse nulla est, speciem autem offert! Ut puri animi, sic immortalitas eorum, ludibria sunt; atque ut homines viventes certi et veri sunt, sic eorum vita sempiterna negari nequit. Ex omnibus, quae exposuimus, sequitur, Christum veritatis sponsum unicum et solum usque ad hodiernum diem fuisse, eandemque recte novisse, ac nostram philosophiam, quae adeo luculenter doctrinam ejus illusrat, vere *christianam* dici posse.

Supremus rei nostrae exitus his verbis delectari potest. Omnia, quae nobis post mortem a Christo promittuntur, a tribunali quoque philosophico pronuntiantur recta, justa et salva; quae autem ab illo promittuntur, sunt tantum significata atque imaginationi hominum,

potissimumque plebi, accommodata, quae vero ab *hoc* pronunciantur, mente comprehensa et penitus cognita, sive omni externo habitu, omniisque faciei suae lenocinio nudata; *hic* tamen et *illic* omnino eadem et verissima. — Ad alternos sermones, quos rei nostrae praemisimus, quod denique attinet, patet nunc, non minus Victorem, quam Flavium, sive non minus Pantheismi cultorem (58), qui ita a clericis christianis dicitur, quam Orthodoxiae studiosum, vera et falsa simul, ut omnes, qui non in tota veritate, sed in polis ejusdem versantur protulisse. Pantheismi cultor *vera* protulit, quippe qui instituisset, substantiam nostram communem, videlicet corpus nostrum commune et animum nostrum communem, ex universali substantia egredi atque ad universalem substantiam reverti, et *falsa*, quippe qui putavisset, cum solutione nostri communis corporis et communis animi, nos quoque ipsos, sive nostram puram seitatem solvi; — et Orthodoxiae studiosus *vera* protulit, quippe qui firmiter tenuisset, nos esse tanquam personas et seitates sempiternos, et *falsa*, quippe qui omnino sibi voluissest, animum nostrum solummodo esse immortalem ac nullam migrationem corporis et animi communis nostri dari. Uterque haesit in uno veritatis extremo, neuter ipsam et totam assecutus est veritatem. — Quia denique post omnia natura cuiuscunque philosophicae explicationis postulat, ut primum extrema veritatis in ipsorum singularitate et oppositione ob oculos ponantur, tum vero congruentiae horum, quae singularia et opposita sint, complexioni eorundem, ac comprehensioni unius totiusque veritatis cognoscendae opera detur; — in promtu est igitur, cur illi sermones alterni rei nostrae, quam nunc, quod felix faustumque sit, salvere jubemus, praecedant.

etiam quae sunt nominis etiamque nomen illud videlicet, dum enim omnis  
dicitur non solum nominis sed etiam significans et hoc, quod significans est, dicitur  
nominis non sicut significans videlicet significans videlicet significans, ut significans  
videlicet non significans videlicet videlicet videlicet videlicet videlicet videlicet  
videlicet videlicet videlicet videlicet videlicet videlicet videlicet videlicet videlicet  
**ADNOTATIONES.**

Sequentes adnotationes offerimus lectori, quamquam  
ipsi natu non germani, in lingua germana, et quidem  
ea re, quia de hodierna philosophia tractantes, quae  
solum in isthae lingua legitur, latinas nostras literas  
nullo vernaculo sermone dilucidius, quam germano,  
illustrare possumus. Multa enim in nostro libello repe-  
ries, quae, etiamsi germanam cantilenam non canimus,  
germanae stripis sunt et in lingua germana sua archetypa  
habent, germane igitur suo jure perfectissime in-  
telliguntur. Qui extra fines Germaniae philosophiam  
